

sto libro fu posto nella Libraria
la Minerva dal P. M. Clarioni bi-
bliotecario scambiato insieme con dieci
altri in vece d'un corpo imperfetto del
Celada a cui mancava l'ultimo tomo
che era superfluo in d.a Libraria per
esservi un altro corpo intiero

COLLECTANEA

PRIVILEGIORVM OMNIVM ORDINVM MENDICANTIVM, ET NON MENDICANTIVM.

Quæ per viam Communicationis, & extensionis Ordini Eremitarum S. HIERONYMI Congreg. B. Petri de Pisis Concessa sunt.

Auctore Fr. Antonio Via Veron. eiusdem Ord. Eremita Examinatore.





VENETIIS,
Apud Donatum Pasquardum. M DC XXX.

Supreiorum permissu.

Opus à R. Ad. P. Antonio Via Veronensi Philosophiæ, ac S. Theol. Professore Titulus COLLECTANEA Priuilegiorum, testimonio Theologorum, & Iuris Consultorum approbatum, & authoritate Comitiorum Generalium, Anni 1626. Typis euulgandam, præsentium virtute denuò approbamus; omnibusque nostræ Congregationis Fratribus amplectendum decernimus. Dat. Arimini in definitorio Generali Conuentus S. Hieronymi. 6. Maij. 1629.

Frater Marcus Patauinus Vic. Generalis.
Frater Iordanus Vicentinus Definitor.
Frater Bernardus Moronus Definitor.
Frater Ioannes Baptista Præatus Definitor.

Frater Michael Angelus Bonioccus
Cancellarius.



Aura. tua. propitiata.

MAGNE. PETRE. GAMBACVRTA.

Pisana. ditione. Clarissime.
Multiplici. doctrina. spectatissime.
Sacri. decorate. muneribus.
Cœtus. Eremitici. Hieronymiani.
Parens. &. Gloria.
Ecce. prodeunt. collectanea.
In. vsum. Regularium. &. commodum.
Tui. cupidissima. patrocinj.
Foue. tutare. protege.
HOC.
Expetit. rogat. efflagitat.
Tuæ. disciplinæ. alumnus.
Tuæ. gloriæ. præco.
Tuæ. Sanctitatis. admirator.
Tuis. piè. pedibus.
Prouolutus.

FR. ANTONIVS. VIA. VERON.

Octauo Kal. Decemb. cIɔ Iɔ xxiix.

REVE-



REVERENDISS. PATRI

IORDANO MVSCATELLO

VICENTINO

Erem. Sancti Hieronymi

Cong. B. Petri Pisarum Generali Vigilantissimo
S. Theologiæ Professori Præstantissimo.

Fr. Antonius Via Veronensis. F. P.

BOni consulas, oportet, Reuerendissime Pater, meam tibi nuncupatam voluntatem, aut si maius voluntariam, & propensam nuncupationem, quam vt libenter dicarem recens in te collata dignitas euicit; qua tanto bonorum applausu cumulatus es, quantum in animis hominum rectè sentientium honor virtuti debitus multis nominibus excitare potuit. Accedit quod editioni nostrarum lucubrationum impensè fauisti, & quòd publici examinatoris munere tuo studio honestatus sum; quare debuerunt palam euulgato grati animi testimonio hæc Regularium Priuilegiorum Collectanea tuo nomine inscribi, tui fauoris aura aspirante

 3 lucem

lucem aſpicere, cuius non vulgaria in Auctorem illorum propenſionis extant argumenta. Quod ſi ex D. Auguſtino nimis durus eſt animus, qui dilectorem ſi nolebat impendere, nolit & rependere: ſimei, & intractabilis cenſerer ingenij, ſi tuæ in me beneuolentiæ aliquid officij non rependerem, quo cœteris innoteſceret, non fruſtra omnino tua in me fuiſſe collata beneficia. Quod ſupereſt, humanitatem tuam oro, & obſecro, vt hoc qualecunque monumentum, pignus, & teſtimonium meæ erga te obſeruantiæ, atque gratitudinis, eodem animo, quo à me tibi offertur (grato, videlicet, & candido) accipias & Viam inter tuos clientes perpetuò tibi addictiſſimum habeas. Vale.

Pro

Pro dedicatione insignis operis

Reuerendiss. Patri IORDANO MVSCATELLO

VICENTINO

Erem. S. Hieronymi Congr. Beati Petri de Pisis Generali: à Reuer. Patre Antonio Via elaborati eiusdem Reuerendiss. Patris Generalis in Laudem.

ANAGRAMMA.

IORDANVS MVSCATELLVS
Cum sis vallatus dones.

Militibus princeps geticis feruentibus iris
Vallatur tepido pectore corda calent.
Immenso Centrum ducto vallatur & orbe
Hoc radiat circum linea iusta datur.
Floribus irriguus sic fons vernantibus æstu
Vallatur, vitreis hos quoque nutrit aquis.
Æthere syderibus Titam vallatur amicis,
Ast hinc ipsa iubar, viuificumque trahunt.
Tu Principes, Centrum tu, tu Fons, tu quoque Titam
Orbis, Flos, Sydus, miles vbique sumus.
Vt Princeps bellum, tu Centrum discrimina pellas
Vt Fons viuifices, Phœbus vt orbe mices.
DONES CVM SIS virtute, & VALLATVS honore
Sunt Via nam nobis munera grata, VIÆ.

Reu. P. Arcangeli Augusti Ferrar.
Cong. B. Petri de Pisis

Eiusdem

EIVSDEM

ALIVD

IORDANVS MVSCATELLVS

DVRVS ALLECTAS MINVS

QVod ferrum magnes trahat inscia turba stupescit,
Nec stupet Alcidem, quod trahat ore Viros.
Quo trahit Alcides? auri trahit ille Catenis,
Haud stupeat ferrum, si trahat ergo lapis.
Tu trahis Alcides animos, & gratior Orphæus
Non Platanos, Ceruos, sed trahis ecce VIAM
Hic, sibi quæ confert aditum ad fastigia Olympi,
Trames erit rutilans lecteus ipse tibi:
Quis stupeat? cunctos mulcent mage mitia nempe,
Torpet enim ferrum dum lapis asper abest.
Sic age blanditijs, mellitis stringe Catenis.
ALLECTAS DVRVS nam (mihi crede) MINVS.



In

IN COLLECTANEA

Reuerendi Admodum P.

ANTONII VIÆ VERONENSIS,

Congregationis B. Petri Pisani Eremitæ S. Theologiæ Professoris.

EPIGRAMMA.

INuia quæ fuerat dumosis obsita spinis
Ecce labore VIÆ, peruia facta via,
Peruia facta via est, ne longâ ambagæ viarum,
Cogamurque viâ quærere sæpe viam.
In mediâ nam sæpe viâ, fateamur oportet,
Absque VIA nobis esse viam absque viâ
Ergo VIAE auxilio, qui deuia, & inuia præbet
Peruia, quis neget hac currere sæpe viâ?

Ad Lectorem.

Carpe viam breuiore via, sinuosa viarum
Compita, sunt studijs abbreuiata VIAE.

F. Franciscus Maria Forret Scotu Francisc.
Conuentualis obseruantiæ pignus P.

ELO-

E L O G I V M.

Martinus à via LENIACI columen, & culmen

Eccellino in fugam conuerſo Patriam à

Cæca Tyrannidis Caligine liberauit.

Et incluſa Dudum ſuſpiria è ruinarum ſpiramentis excluſit.

A N T O N I V S A' V I A

Mineruæ Lampas Muſarum Iubar

Auo decorus Aui decor

Pruilegia

Mendicantium & non Mendicantium

Confuſionis obſcura nocte illumina

Pulſis tenebris

Pura Puta ordinis luce illuminauit

Perdia ſydera per noctes ſoles gregatim

Sparſimque perturbatos digerens

Diei ſuum ſolem nocti ſuas ſtellas

Reſtituit

Mirare Lector

Rerum omnium raram conſpirationem.

Io. Bapt. Alec. Veron.

SO-

SONETTO

Dell'Illustriss. Signor

CO: CLAVDIO CANOSSA

Acad. Filarmonico.

Paralello

Allude à Martino della Via generoso Antenato dell'Auttore della presente opera, che liberò la Patria dalla Tirannide di Eccellino da Romano.

Veggansi Onofrio Panuin. & Girolamo Corte.

CON giusto ferro in bell'Impresa spinto
ANTICO VIA già fier Tiranno afflisse,
E à liberar l'oppressa Patria auinto,
Le proprie glorie à mill'etadi scrisse.
ANTONIO hor te del generoso instinto
Successor degno amato Ciel prescrisse,
Acciò che per tua mano oppresso, e vinto
Il Tiranno Infernale indi languisse.
Tu de la Via, ch'à la salute adduce,
Apri'l sentier, tu frà gli horrori inuolto,
Conduci il vero à la primiera luce.
Mesto Satan con dispettoso volto
Già d'ogn'impresa à disperar s'induce,
Poich'à l'Inferno ogni soccorso hai tolto.

Al Molto Reuerendo Padre

ANTONIO DELLA VIA

A. . della Religione di S. Girolamo, per lo suo dotto componimento.

Il Preparato Acad. Filarm.

PEr la VIA, che calcò ben scorto Alcide,
Tù poggi ANTONIO à frettolosi passi,
Questo è'l camino, onde à la gloria vassi,
Che insidiosa Parca non recide;
Per questo il tuo gran Duce, e vinse, e vide
Del Cielo il regno, ù trionfante hor stassi,
L'orme di lui calcando ancor vedrassi
Il tuo nome innalzarsi; egli t'arride;
Segui dunque felice, ai chiari rai
Del gran Lume, che osserui il piede inuia,
Che caminar per l'ombre non potrai;
Anzi à la meta, che'l tuo cor desia,
Con penna di fin'or volando, haurai
VITA immortal s'apristi al VER la VIA.

DECRETA

S. CONGREGATIONIS CONCILII

S. D. N. VRBANI

DIVINA PROVIDENTIA

PAPÆ VIII.

Authoritate Edita

De Celebratione Miſſarum.

Præſens Decretum imprimendum, & reponendum erat in verbo Miſſa, quarta animaduerſion circa medium, prout ibi citatur.

fol. 152.



VM ſæpè contingat, in quibuſdam Eccleſijs tàm magnum Miſſarum celebrandarum numerum ex varijs defunctorū relictis, aut piorum eleemoſynis impoſitum eſſe, vt illis pro ſingulis diebus præſcriptis nequeat ſatisfieri, & tamen noua onera Miſſarum in dies ſuſcipiantur; indeque fiat, vt depereant piæ teſtantium voluntates, obſtricta benefactoribus fides violetur, defunctorum animæ ſuffragijs priuentur, Eccleſiis debitus ſubtrahatur cultus, ac Chriſti fideles graui ſcandalo affecti, plerumque à ſimilibus charitatis operibus retrahantur: Cumque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quòd ii, qui Miſſas ſupra vires celebrandas ſuſcipiunt, ſperent illas breui ad pauciorem numerum à Superioribus reductum iri; aut

 quòd

quòd Ecclesijs, forte pecuniarum absumpta, plerumque nuda remaneant onera Missarum absque vllo emolumento; aut quòd eleemosina pro illis celebrandis sit adeò tenuis, vt non facilè inueniantur, qui velint huic se muneri subijcere, & redditus Ecclesiæ, aut Monasterij adeò exigui, vt Sacerdotes pro necessaria sua sustentatione nouis se oneribus obstringere compellantur: SACRA CONGREGATIO CARD. CONC. TRID. INTERPRETVM animaduertens, facturam se rem Deo gratissimam, charitatique, ac Iustitiæ maximè consentaneam, si pro viribus satagat hunc teterrimum abusum è Christiana Republica conuellere, atque eradicare: SANCTISSIMI D. N. VRBANI Diuina prouidentia Papæ VIII. authoritate sibi specialiter attributa, infrascripta Decreta edidit.

Ac primò districtè prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant onera vlla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur, alioquin reductiones, moderationes, & commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas, atque inanes decernit.

Deinde, vbi pro pluribus Missis, etiam eiusdem qualitatis, celebrandis plura stipendia, quantumcunque incongrua, & exigua, siue ab vna, siue à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesijs, Capitulis, Collegijs, Hospitalibus, Societatibus, Monasterijs, Conuentibus, Congregationibus, Domibus, ac locis pijs quibuscumque tàm sæcularibus, quàm regularibus, SACRA CONGREGATIO sub obtestatione Diuini Iudicij mandat, ac præcipit, vt absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosinæ præscriptæ fuerint; ita vt alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant; quinimmò grauiter peccent, & ad restitutionem teneantur.

Id verò vt deinceps obseruetur exactiùs. SACRA CONGREGATIO eadem authoritate reuocat priuilegia, & indulta omnia quibusuis personis, Ecclesiis, ac locis piis, tam sæcularibus, quàm regularibus, cuiuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, vt certarum Missarum, vel Anniuersariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

Ac similiter, omne damnabile lucrum ab Ecclesia remouere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

Prætereà, ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, vt par est, adimplendis eò tepidiores, ac segniores reddantur, quòd onera huiusmodi cum nulla, aut parua sint vtilitate coniuncta; statuit, atque decernit, vt pecuniæ, ac bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Sacietatibus, Congregationibus, Monaste-

nasteriis, Conuentibus, ac locis omnibus tam sæcularibus, quàm regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuò Missarum celebrandarum, ab iis, ad quos pertinet, sub pœna Interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda à die realis acquisitionis statim deponi debeant penès ædem Sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam ad effectum illa, seu illorum pretium quamprimùm inuestiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expressa, & indiuidua mentione oneris, quod illis annexum reperitur: ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium sub eadem pœna, vt suprà, deponi, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis cum eiusdem oneris repetitione, atque annexione conuerti debeat.

Ad hæc SACRA CONGREGATIO quibusuis Capitulis, Collegiis, Societatibus, & Congregationibus, necnon omnibus, & singulis Ecclesiarum, ac piorum locorum, tam sæcularium, quàm regularium Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, districtè prohibet, ne imposterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum, sæculares quidem sine Episcopi, vel eius generalis Vicarii, Regulares verò sine Generalis, vel Prouincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratis concedenda, alioquin sæcularis, qui huius prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus fit eo ipso: Regularis verò pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cæterò obtinenda, vocisque actiuæ, ac passiuæ, absque alia declaratione incurrat. Eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis ita demùm iidem accipere possint, si oneribus anteà impositis ita satisfecerint, vt noua quoque onera suscipere valeant: alioquin omninò abstineant; ab huiusmodi eleemosynis, etiam spontè oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa, Eleemosyna pro Missis, vel alia simili, sub iisdem pœnis ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur. Episcopus verò, seu eius Vicarius, aut Generalis, vel Prouincialis, vbi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis Missarum celebrandarum obligationibus cuique Ecclesiæ, Monasterio, aut loco pio incumbentibus; nec anteà assensum huiusmodi, aut licentiam præbeant, quàm eis legitimè constiterit, illius Sacerdotes tàm nouo oneri suscipiendo, quam antiquis iam susceptis satisfacere posse; præcipuamque rationem habeant, vt redditus, qui Ecclesiis, & locis piis relinquuntur, omninò respondeant oneribus adiunctis, secundum morem cuiusque Ciuitatis, vel Prouinciæ, intelligantque si in re tanti momenti desides, aut negligentes fuerint, in Nouissimo Die se huius prætermissi muneris rationem esse reddituros.

Postremò ILLVSTRISSIMI PATRES, non sine graui animi dolore intelligentes, mala ferè omnia, quæ regularem disciplinam euertunt, ac præcipuè nimiam hanc facilitatem fouent in oneribus Missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex maiori Regularium numero, quam ferant redditus, & eleemosynæ cuiusque Monasterii; inhærentes Summo-

morum Pontificum, ac Sacri Concilii Tridentini decretis hac de re editis, Sanctissimi D. N. authoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & singulis Generalibus, Prouincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicariis, & quibuscumque a iis Superioribus Monasteriorum, Conuentuum, ac Domorum regularium bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cuiuscumque Ordinis, Congregationis, & instituti existentium intra fines Italiæ, & Insularum adiacentium, vt singuli, ad quos pertinet, in qualibet Prouincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus sui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum vsu peritioribus, bona, immobilia, census, redditus, & prouentus omnes, consuetas item eleemosynas, & obuentiones, tam communes Monasteriorum, Conuentum, & Domorum eiusdem Prouinciæ, quàm etiam singularibus personis religiosis assignatas, seu permissas in communem vsum deinceps conferendas, decem annorum immediatè præcedentium habita ratione, diligenter, & maturè recognoscant, iis omnibus detractis, quæ reparationes præstationes, grandines, sterilitates, alia ve cuiuslibet generis onera consueuerunt absorbere; eaque omnia scripto fideliter exarata, idem Superior cuius interest, in proximo Capitulo, seu Congregatione generali, vel prouinciali coram tribus Iudicibus ab ipsomet Capitulo, seu Congregatione deligendis proponat, qui computatis huiusmodi redditibus, eleemosynis, & obuentionibus vniuersis, & oneribus, vt supra, detractis, sedulò examinent, quot religiosi homines, connumeratis etiam laicis, aliisque necessariis seruientibus, in vnoquoque Monasterio, Conuentu, & Domo regulari iuxta regionis, & proprii instituti morem, victum, & vestitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant sustentari. Tum eorundem bonorum, redditum, eleemosynarum, & onerum præcisam notam ipsimet Capitulo, seu Congregationi exhibeant, vt in illo diligenter omnibus discussis, cuiusque familiæ Monasterii, Conuentus, ac Domus regularis in singula quaque Prouincia certus earum tantùm personarum numerus, Patrum capitularium voto, præfigatur, quæ redditibus, eleemosynis, & obuentionibus, vt superiùs, sufficienter ali possint. Ne verò Superiores, qui id præstare debent, seriùs, aut remissiùs quam par est, suo muneris satisfaciant mandat SACRA CONGREGATIO, vt infra annum, post proximum Capitulum generale, vel prouinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter gesta, in authenticam formam redacta ad Sacram ipsam Congregationem Concilii singuli mittant, numerumque familiæ, singulorumque Conuentuum, Monasteriorum, & Domorum huiusmodi regularium, Capituli, seu Congregationis generalis, vel prouincialis sententia, & auctoritate præfinitum, iidem Superiores, tam Generales, & Prouinciales omnes, quàm locales perpetuò seruare omninò teneantur, nec possint illum quoquo modo augere, etim prætextus augumenti redditum, absque Sacræ ipsius Congregationis licentia. Superiores autem huiusmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præstiterint, vel numerum, vt suprà præscriptum quouis modo augere præsumpserit,

priua-

priuationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vocisque actiuæ, ac passiuæ, & ad omnia suæ religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipso incurrere, atque aliis etiam grauioribus à Sed Apostolica infligendis pœnis Sacra Congregatio subiacere voluit, & declarauit.

Deinceps verò Monasteria, Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium, nullibi recipiatur, nisi, præter alia ad id requisita, in singulis eiusmodi locis duodecim saltem fratres, aut Monachi, seu Religiosi degere, & ea redditibus, & consuetis eleemosynis, detractis omnibus, vt suprà, detrahendis, competenter sustentari valeant, ad præscriptum decreti fel. record. Gregor. XV. hac de re editi. Alioquin Monasteria, & loca huiusmodi post hac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, vt suprà, sustentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitauerint, Ordinarii loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ iurisdictioni subiecta esse inteligantur.

Porrò, ne vllo vnquam tempore hæc in obliuionem, seu desuetudinem abeant, Superiores locales cuiusque Monasterii, Conuentuus, ac Domus regularis curare, atque efficere teneantur sub pœna priuationis officii, vocisque actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrenda, in perpetuum, sexto quoque mense, idest feria secunda post primam Dominicam Aduentus: & feria sexta post Octauam Corporis Christi præsentes ordinationes in publica mensa perlegantur. Omnibus tam Ecclesiasticis personis, cuiuscunque sint ordinis, conditionis, & gradus, quàm laicis quocumque honore, ac potestate præditis præsentia Decreta declarandi, vel interpretendi facultate penitùs interdicta.

Non obstantibus quoad suprascripta omnia, & singula in præsentibus Decretis contenta, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in fauorem quarumcumque personarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam S. Ioan. Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiuslibet alterius Instituti, etiam necessariò, & in indiuiduo exprimendi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Capitulorum, Hospitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcumque, tam sæcularium, quàm regularium locorum, necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, etiam Mari Magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cumquibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per via communicationis seu extensionis concessis, & iteratis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus & formis, specialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda, esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti

fo-

forent, præsentibus pro expressis habens, quibus quo ad ea, quæ præsentibus aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, Sacra Congregatio Sanctitatis Suæ authoritate specialiter, & expresse derogat, cæterisque contrariis quibuscumque.

Et ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, voluit eadem SACRA CONGREGATIO, vt præsentes Ordinationes in Valuis Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, ac in Acie Campi Floræ, vt moris est, affixæ, omnes, ad quos pertinet ita arctent, & afficient, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent. Vtque earundem præsentiũ trãsumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ die 21. Iunii 1625.

Cosmus Cardinalis de Torres.

loco † sigilli.

Prosper Fagnanus Sac. Congr. Secr.

Anno D.N. Iesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, Indictione octaua, Pontificatus autem in Christo Patris, & D.N.D. Vrbani Diuina prouidentia PP. Octaui, Anno eius Tertio, die verò vigesima secunda mensis Septembris, suprascripta Decreta affixa, & publicata fuerunt, ad valuas Basilicarum S. Ioan. Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, ac in Acie Campi Flora, vt moris est per nos Camillum Fundatum, & Fabium Aemilianum Sanctiss. D.N.PP. Curs.

Brandimartes Latinus Prælibati Sanctiss. N. PP. ac S. Rom. & Vniuersalis Inquisitionis Cursor pro Mag. DD. Curs.

S. D. N.

S. D. N.

D. GREGORII PAPÆ VIII. CONSTITVTIO

Quæ imprimenda, & reponenda, erat Verbo Exemptio Animaduersione 3. fol. 119.

De Exemptorum Priuilegijs circa animarum curam, & Sacramentorum administrationem Sanctimonialium Monasteriorum, & Prædicationem Verbi Dei.

GREGORIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.



NScrutabili Dei prouidentia Vniuersalis Ecclesiæ regimini, meritis licet imparibus, præsidentes Pastoralis nostræ solicitudinis partes esse dignoscimus, in eam curam præcipuè incumberi, vt à dignis, & probatis tantum Sacerdotibus Sanctè administrarentur Ecclesiastica Sacramenta, atque vt Virginum Deo Sacrarum Monasteria diligentissime custodiantur, & viri assumantur idonei ad prædicationis officium salubriter exequendum, sanè Tridentinæ Sinodi decretis proindè cautum est. nullum Præsbiterum etiam Regularem posse Confessiones Sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; Nec non vt in Monasterijs, seu domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum sæcularium, præter eas, quæ sunt de illorum monasteriorum, seu locorum familia personæ; tam regulares, quam sæculares, huiusmodi curam

ram exercentes subsint immediatè in ijs, quæ ad dictam Curam, & Sacramentorum administrationem pertinent iurisdictioni, visitationi, & Correctioni Episcopi in cuius Dioceſi sunt sita: Itemque vt Episcopi vniuerſi sub obteſtatione Diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ in omnibus Monaſterijs ſibi ſubiectis ordinaria in aliis verò Sedis Apoſtolicæ auctoritate Clauſura Sanctimonialium, vbi violata fuerit diligenter reſtitui, & vbi inuiolata eſt conſeruari maximè procurent, inobedientes atq; contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas quacumque appellatione pōpoſita compeſcentes. Atque vt Regulares in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare volentetes, ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictonem petere teneantur, in Eccleſiis verò, quæ ſuorum ordinum non ſunt, nullo modo prædicare poſſint ſine Epiſcopi licentia, contradicente autem Epiſcopo, nulli, etiam in ſuorum Ordinum Eccleſiis prædicare præſumant. Verùm quia experientia compertum eſt Eccleſiaſtici regimini rationes poſtulare, vt decretis huiuſmodi aliquid adiungatur, matura deliberatione noſtra, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudinis hac generali, & perpetuò valitura Conſtitutione decernimus, ſtatuimus & declaramus, vt deinceps tam Regulares, quàm Seculares quomodo libet exemptò, ſiue animarum curam perſonarum, Sæcularium Monaſteriis ſeu domibus Regularibus, aut quibuſuis aliis Eccleſiis, vel beneficiis, ſiue Regularibus, ſiue Sæcularibus incumbentem exerceant; ſiuè aliàs eccleſiaſtica Sacramenta, aut vnum ex illis miniſtrent, prævia Epiſcopi licentia, & approbatione; ſiue quomodo in dictæ curæ exercitio, aut in eorundem Sacramentorum, vel alicuiùs ex illis adminiſtratione de facto abſque vlla auctoritate ſe ingerant in his, quæ eiuſmodi curam, ſiue adminiſtrationem concernunt, omnimoda iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni Diœceſani Epiſcopi, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati plenè in omnibus ſubiiciantur. Ad hæc tam Regulares, quàm Sæculares huiuſmodi nullis priuilegiis, aut exemptionibus tueri ſe poſſint, quominus ſi deliquerint circa perſonas intra ſepta degentes, aut circa Clauſuram, vel circa bonorum adminiſtrationem Monaſteriorum Monialium etiam Regularibus ſubiectarum ab Epiſcopo loci ſimiliter tanquam ad hoc Sedis Apoſtolicæ delegato, quando, & quoties opus fuerit puniri, & corrigi valeant. Confeſſores verò ſiue Regulares, ſiue Sæculares quomodocunque exempti tam ordinarii, quā extraordinarii ad Confeſſiones Monialium etiam Regularibus ſubiectarū audiendas nullatenus deputari valeant, niſi prius ab Epiſcopo Diœceſano idonei iudicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant, Sed & adminiſtrantes bona bona ad eiuſmodi Monaſteria Sanctimonialium, vt præfertur etiam Regularibus ſubiectarum pertinentia, ſiuè regulares extiterint, ſiue ſæculares quomodolibet exempti Epiſcopo loci adhibitis etiam Superioribus Regularibus ſingulis annis rationes adminiſtrationis gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idq; iuris remediis cogi, & compelli queant. Liceatq; Epiſcopo ex rationabili cauſa Superiores regulares admonere, vt eiuſmodi Confeſſores, atque Adminiſtratores amoueant iiſque Superioribus id facere detretantibus, aut negligentibus habeat Epiſcopus facultatem prędictos Confeſſores, &

admi-

administratores amouendi quoties, & quando opus esse iudicauerit. At similiter possit Episcopus, vnà cum Superioribus Regularibus, quarumcumq; Abbatissarum. Priorissarum, Præfectarum, vel Propositarum eorumdem Monasteriorum quocumq; nomine appellentur electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere absq; vlla tamen ipsorum Monasteriorum impensa. Ac demum habeat Episcopus tamq; dictæ Sedis delegatus auctoritatem coercendi, ac puniendi quoscumque exemptos tam Sæculares, quàm Regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quæ suorum Ordinum non sunt, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint. Ita vt Episcopi in suprascriptis casibus, & in prænominatas personas in præmissis omnibus, & singulis, aut circa ea quoquomodo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra Visitationem per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, vti eiusdem Sedis delegati, procedere, omnemq; iurisdictionem exercere liberè, & licitè valeant. Decernentes sic per quoscumq; Iudices, quauis auctoritate fungentes & Sacri Palatij Auditores, nec non S. R. Ecclesiæ Cardinales sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere. Irritum quoq; & inane si secus super his aquoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in fauorem quarumcumquè personarum, atque Ordinum, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium Militiarum etiam S. Ioannis Hierosolimitani, Congregationum, Societatum. ac cuiusuis alterius instituti, etiam necessariò, & in indiuidue exprimendi Monasteriorum, Conuentuum Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcumq; tàm Sæcularium, quàm Regularium locorum, nec non illorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, vel Consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus, quoquè indultis & priuilegiis, etiam in corpore iuris clausis, aut ex causa, & in titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Marimagno seu Bulla aurea aut alias nuncupatis; Conseruatorum deputationibus, eorumq; atquè aliis inhibitionibus, quibus Episcopi deferre minimè teneantur; & quibusuis aliis, sub quibuscumq; tenoribus, & formis ac cum quibusuis etiam derogatoriarum, derogatoriis, alisq; efficacioribus, & in solitis clausulis, nec non irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis seu extentionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiam si pro illorum sufficienti deroga tione, ac de verbo, ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquesita forma seruanda esset, renores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus amisso, & forma in illis tradita obseruata inserti fòrent, præsentibus pro expressis habentes, quibus quoad ea, quę eisdem præsentibus aduersantur, illis alias in suo robore permansuris specialiter, & expresè derogamus, cæterisquè contrariis, quibuscumq; cæterum, quia difficile præsentes literas ad singula quæq; loca deferri, vt ea tamen omnibus innotescant, mandamus illas ad

✠✠ val-

valuas Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe Basilicarum, atque Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ publicari, & inibi affigi, & per aliquod temporis spatium dimitti eisq; detractis, earum exempla eo in loco relinqui. Ac volumus, vt earumdem præsentium litterarum transumptis, etiam impressis manu alicuius Notarii publici suprascriptis, & sigillo Prælati, seu Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis in iudicio, & extrà illud vbi opus fuerit; eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum Statuti declarationis, decretorum, derogationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurũ, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1622. *Nonis Februarij Pontificatus nostri anno secundo.*


V. Dat.

S. de Vrsinis.

Registrata in Secretaria Breuium.

Posita

Posita Constitutione fel. rec. GREGORII IV. de exemptorum priuilegijs, &c. Dubitatur.

1 AN liceat Episcopi visitare Altaria regularium Ecclesiarum, quibus cura animarum personarum secularium non incombit, aut loca, vbi in iisdem Ecclesiis asseruatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vel vbi audiuntur Confessiones personarum secularium?

2 An Episcopi possint Regularibus præscribere, vt certis tantùm in locis, ac temporibus, aut certum personarum Confessiones audiant, vel aliàs illorum priuilegia restringere, ac moderari in sacramentis administrandis?

3 An facultas Episcopis per costitutionem attributa in exemptos tam sæculares, quàm regulares, intelligatur etiam tributa in personas nullius diœcesis?

4 An eadem facultas competat inferioribus Prælatis proprium territorium, ac iurisdictionem quasi Episcopalem habentibus.

5 An per eandem Constitutionem in illis verbis, possit Episcopus vnà cum superioribus regularibus quarumcunque abbatissarum, &c. electionibus perse, vel per alium interesse, ac præsidere; ius Abbatissas confirmandi Episcopis attributum censeatur?

6 An Confessores Monialium ante editam Constitutionem deputati, debeant ab Episcopo examinari, & approbari?

7 An superiores Regulares similiter ante ipsius Constitutionis publicationem electi, seu deputati, alia indigeant Episcopi approbatione pro Confessionibus sanctimonialium sibi subiectarum audiendis.

8 An Confessiones, quas audiunt superiores Regulares electi, seu deputati, vel confirmati post publicationem, & scientiam tenoris dictæ Bullæ, non obtenta Episcopi approbatione, sint nullæ, atq; irritæ, necne?

9 An Regulares generaliter ab Episcopo approbati ad Confessiones personarum secularium audiendas, censeantur etiam approbati ad audiendas Confessiones Monialium sibi subiectarum.

10 An Regularis ad audiendas Confessiones Monialium vnius Monasterii ab Episcopo approbatus Confessiones Monialium alterius Monasterii audire possit?

11 An Confessores regulares extraordinarii semel ab Episcopo deputati, & approbati ad audiendas Monialium Confessiones pro vna vice infra annum ad præscriptum sacri Concilii Tridentini, possint, virtute dictæ approbationis, pluriès tanquàm Confessores extraordinarii earumdem Confessiones audire, absq; noua Episcopi licentia?

12 Cum in eadem Constitutione statutum sit, vt liceat Episcopo ex rationabili causa superiores Regulares admonere, vt amoueant Confessores Monialium, atque Administratores bonorum ad earumdem Monialium Monasteria pertinentium, iisque superioribus id facere detractantibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, & Administratores amouendi quoties, & quando opus esse iudicauerit: An eiusmodi causam Episcopus superioribus Regularibus significare teneatur;

13 An eadem Constitutio qua parte supponit Episcopi iurisdictioni Regulares delinquentes circa personas degentes intra septa Monasteriorum Monialium, aut circa clausuram, vel bonorum administrationem eorumdem Monasteriorum, habeat locum in omnibus delictis, an verò solùm in notoriis, & cum scandalo populi?

SACRA CONGREGATIO CARDINALIVM Concilij Tridentini Interpretum censuit, Constitutione San. me. Gregorij XV. de exemptorum priuilegijs, ne quaquam subijcere Regulares exemptos, quibus cura animarum personarum secularium non incumbit, Episcoporum iurisdictioni in his, quæ Sacramentorum administrationem concernunt, nisi cum in Sacramentis personis secularibus administrandis ijdem Regulares delinquunt: ac propterea.



AD primum dubium respondit, Episcopis non licere in vim eiusdem Constitutionis visitare Altaria Ecclesiarum Regularium, quibus nonincumbit animarum cura personarum secularium, nec loca, vbi in iisdem Ecclesijs asseruatur Sanctissimum Euchareſtiæ Sacramentum, vel vbi Confessiones personarum secularium audiuntur.

Ad II. Hac in parte Constitutionem nihil noui iuris induxisse, nec vllam nouam authoritatem Episcopis in Regulares attribuisse: Ideoque in vim ipsius Constitutionis non posse Episcopos Regularibus præscribere, vt certis tantùm in locis, ac temporibus, aut certarum personarum Confessiones audiant, vel alias illorum priuilegia in Sacramentis administrandis restringere, aut moderari. Quòd si aliunde

de

de Episcopis huiusmodi facultas competat, illam non fuisse ab eadem Constitutione sublatam.

Ad III. Censuit eiusmodi facultatem non intelligi tributam Episcopis in personas nullius diœcesis.

Ad IV. Non competere.

Ad V. Ius confirmandi Abbatissas minimè fuisse Episcopis per Constitutionem attributum.

Ad VI. Confessores quidem extraordinarios Monialium nullatenus, posse Constitutionem illarum Confessiones audire, nisi priùs ab Episcopo Diœcesano idonei iudicentur & approbentur. Ordinarios verò Confessores ante Constitutionis publicationem deputatos posse durante triennio ab eorum deputatione inchoando, pergere in Confessionibus Sanctimonialium audiendis absq; alio examine, & approbatione Episcopi. Quòd si contingat, vt illorum facultas à Sede Apostolica vltra triennium prorogetur, tunc debere eos ab Episcopo examinari, & approbari.

Ad VII. Superiores Regulares electos, seù deputatos ante ipsius Constitutionis publicationem, quibus alioquin facultas audiendi Confessiones Monialium sibi subiectarum, posse, durante eorum officio, pergere sine alia Episcopi approbatione in Confessionibus audiendis illarum tantum, quæ sponte, proprio motu id ab eis petierint. At verò eos, qui post Constitutionem eligentur, aut quoquo modo deputabuntur, vel qui in eorum officijs, seu dignitatibus, expleto iam tempore à Constitutionibus cuiusq; Ordinis, vel aliàs. legitimè præfinito, ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquàm posse Sanctimonialium Confessines audire, nisi priùs à Diœcesano Episcopo idonei iudicati, atquè approbati fuerint.

Ad VIII. Confessiones huiusmodi nullas, atquè irritas esse.

Ad IX. Regulares generaliter ab Episcopo approbatos ad Confessionis personarum secularium audiendas, nequaquàm censeri approbatos ad audiendas, Confessiones Monialium sibi subiectarum; sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione.

Ad X. Regularem ad audiendas Confessiones Monialium vnius Monasterii ab Episcopo approbatum, minimè posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterii.

Ad XI. Confessores extraordinarios semel deputatos, atquè approbatos ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro vna vice audiendas, haùd posse pluriès in vim approbationis eiusmodi illarum Confessiones audire: sed ab Episcopo totiès esse approbandos, quotiès casus deputationis contigerit.

Ad XII. Non teneri eiusmodi causam significare Superioribus Regularibus; sed hoc relinqui arbitrio, & prudentiæ Episcoporum, quorum conscientiam Sacra Congregatio seriò onerauit, nè facultate sibi hac in parte attributa quoquo modo abutantur; eius rei in districto Dei iudicio rationem reddituri.

Ad XIII. Constitutionem habere locorum in omnibus delictis, non autem in notoriis tantùm, & cum populi scandalo.

Quæ

Quae Sacrae Congregationis responsa ad se relata fel. rec. Gregorius XV. & Sanctiss. D. N. VRBANVS VIII. in omnibus approbarunt.

A. Card. Caetanus.

Prosper Fagnanus S. Cong. Secr.

Posita Constitutione fel. rec. GREGORII XV. De exemptorum priuilegijs, &c.

AN regularis absq; legitima licentia accedens ad Monasterium Monialium regularibus subiectarum, ibique in loco colloquiis destinato cum Moniali colloquens, à Dioecesano Episcopo, tanquàm Sedis Apostolicae delegato, coerceri, & puniri possit?

SAcra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, Posse. Quam Congregationis sententiam Sanctissimus Dominus Noster VRBANVS VIII. ad se relata approbauit.

Cosmus Card. de Torres.

Locus Sigilli.

Prosper Fagnanus S. Congr. Secr.



INDEX RERVM MEMORABILIVM.

A

B

De-

D

E

lares

F

G

Ge-

Illegitimus dignitatem, omissa dispensatione, excipiens, mortalem culpam contrahet cum obligatione dignitatem relinquendi. fol.94.

Im-

Iubi-

R

Re-

Vota

F I N I S.

CANDIDO LECTORI.

Habes, candide Lector, præcipuorum erratorum, quæ me absente prælo irrepserunt, emendationem: tuæ ingenuitatis erit leuioribus veniam indulgere, & litteras, virgulas, puncta, vel prætermissa impressorum incuria, vel translata, addere, vel suo loco reponere.

Folio.	2	versu	4	circa.	lege	cura.
Eodem		Versu	28	dicendarum.	lege	dicendorum
Fol.	4	versu	22	indulta	lege	indulto
Eodem		Vers.	23	fol. mihi. 518.	lege	fol. 518.
Fol.	6	Vers.	27	nono	lege	nouo
Fol.	13	Vers.	4	Lous ordinarius quomodolibet.	lege	locorum ordinarios quorumlibet.
Fol.	14	Vers.	23	quo	lege	qui
Fol.	15	Vers.	20	A.	lege	F.
Fol.	16	Vers.	21	ignorantur	lege	ignoranter.
Fol.	19	Vers.	13	conditio	lege	eruditio.
Eodem		Vers.	17	absolutissimam	lege	absolutissimum.
Fol.	20	Vers.	20	quum	lege	quam.
Eodem		Vers.	22	contineatur	lege	continentem.
Fol.	26	Vers.	17	præcidere	lege	preclare.
Eodem		Vers.	21	iusta	lege	iuxta
Fol.	27	Vers.	2	recensitum	lege	recensitam.
Eodem		Vers.	7	non	lege	non
Fol.	28	Vers.	1	exploratis	lege	explorati.
Eodem		Versu	17	& vestræ	lege	& per vestræ,
Eodem		Vers.	18	deputatum	lege	deputatus.
Fol.	29	Vers.	16	concessam	lege	concessum.
Fol.	32	Vers.	17	fol. l. c.	lege	fol. l. c. num. 5.
Fol.	33.	Vers.	3	dist.	lege	p. disp.
Eodem		Vers.	7	dist.	lege	disp.
Eodem		Vers.	13	referuari.	lege	referuare.
Fol.	34	Vers.	1	licet nobis.	lege	licet vobis.
Eodem		Vers.	30	casu	lege	causa.
Eodem		Versu	34	Gregor.	lege	Georg.
Fol.	35	Vers.	30	maturæ	lege	mature.
Fol.	37	Vers.	1	obstante	lege	obstant.
Fol.	39	Vers.	34	restituendę	lege	instituendæ.
Eodem	Fol. & Vers.			regularis	lege	regulares,
Fol.	41	Vers.	13	eaq;	lege	ea quæ
Eodem		Vers.	20	licite	lege	licere.
Fol.	45	Vers.	11	aretionij	lege	aretiorij.

Fol.

Fol.	52	Verſ.	4	regulalium	lege	regularium.
Fol.	55	Verſ.	13	legari	lege	ligari
Fol.	56	Verſ.	30	reconciliari	lege	reconciliare
Fol.	60	Verſ.	26	exibire	lege	exibere.
Fol.	64	Verſ.	7	quæſtionum regularium	lege	queſtion:regular
Eodem		Verſ.	20	predicato	lege	predicto
Eodem		Verſ.	29	idemnitati	lege	indemnitati
Eodem		Verſ.	32	parectis	lege	perrectis
Fol.	65	Verſu	13	Minorum	lege	minimorum
Fol.	66	Verſu	2	Extento	lege	extenſio
Eodem		verſu	20	fit	lege	ſit
Fol.	68	Verſu	1	Dominorum	lege	Diuinorum.
Eodem		Verſu	3	De Iudice	lege	De Iudic.
Eodem		Verſu	19	legibus	lege	legimus
Fol.	70	Verſu	14	honcre	lege	Horſeum
Eodem		Verſu	29	niſi	lege	ſic
Fol.	71	Verſu	34	infra ſepta menſe	lege	intra ſepta noſtræ
Fol.	72	Verſu	9	præsbiteri de licentia	lege	præsbiteri ſeculares de licentia.
Fol.	73	Verſu	11	& ſic	lege	& ſi
Fol.	75	Verſu	29	alius	lege	alium
Fol.	76	Verſu	31	nouiſſent	lege	vouiſſent
Fol.	79	Verſu	31	3	lege	30
Fol.	82	Verſu	14	conuiniatur	lege	conueniantur
Fol.	84	Verſu	22	concedendi	lege	condendi
Fol.	86	Verſu	9	liberè	lege	licere
Eodem		Verſu	31	humanitas	lege	immunitas
Fol.	87	Verſu	5	habenda mentio	lege	habenda eſſet mentio.
Fol.	94	Verſu	7	ſecundum	lege	ſciendum
Fol.	97	Verſu	17	Præſate	lege	præſate
Fol.	99	Verſu	15	polliceari	lege	pollicear
Fol.	101	Verſu	1			
Fol.	102	Verſu	19	fraudolenter	lege	fraudulenter
Fol.	103	Verſu	27	forſam	lege	forſan
Fol.	106	Verſu	20	Et e rum	lege	& ecrom
Eodem		Verſu	21	mendicantium	lege	mendicatiorum
Eodem		Verſu	27	temiritate	lege	temeritate
Eodem		Verſu	35	iaſturas	lege	iacturas
Fol.	107	Verſu	27	quæſtionibus	lege	quæſtoribus
Eodem		Verſu	33	quæſtionibus	lege	quæſtoribus
Fol.	108	Verſu	22	paleanius	lege	palearius
Fol.	109	Verſu	7	ſuis	lege	tuis
Eodem		Verſu	10	rie	lege	rite
Eodem		Verſu	24	reſignunt	lege	reiſgnent
Fol.	110	Verſu	5	Sulcepto ſedem	lege	ſuſcepto per ſeden
Fol.	111	Verſu	15	coronatorum Comp.	lege	coronatorum & in eorum Cōp.
Eodem		Verſu	18	dematur	2	
Fol.	113	Verſu	9	domino	lege	dominio
Eodem		Verſu	22	præſumat	lege	præſumant
Eodem		Verſu	37	hiſne	lege	hiſce
Fol.	114	Verſu	7	forſitam	lege	forſitan
Eodem		Verſu	18	non obctante	lege	2. non obſtante
Eodem		Verſu	24	To.2.p.	lege	To. 29.
Fol.	115	Verſu	4	prioram	lege	primam
Eodem		Verſu	6	fecit	lege	fecerit
Eodem		Verſu	8	præcipiendi	lege	præcipiendo
Eodem		Verſu	13	&c. vide ſupradicta	lege	&c. ſupradicta

Fol.

Fol.	116	Versu	8	huic	lege	hinc
Eodem		Versu	11	iura	lege	cura
Eodem		Versu	16	anno	lege	nono
Fol.	117	Versu	31	quarumcumq;	lege	quorumcumq.

Ponatur ante animaduerſionem, S. Fratres noſtræ &c.

Subdatur animaduerſio, & poſtmodum, Limita

Fol.	120	Versu	15	& 31	lege	51
Eodem		Verſu	17	to.4.relig.	lege	to.4.de Relig.
Eodem		Verſu	20	ſtatum	lege	ratum
Fol.	121	Verſu	2	tit	lege	to.
Eodem		Verſu		in cap.4.	lege	10. cap.4.
Eodem		Verſu	15	generalem	lege	generale
Fol.	122	Verſu	8	142	lege	124
Fol.	123	Verſu	31	congregationi	lege	congregationis
Fol.	124	Verſu	30	alibi elegiſſent	lege	alibi ſepulturam elegiſſent
Fol.	125	Verſu	10	poſſunt	lege	poſſint
Eodem		Verſu	33	debeantur	lege	debebantur
Fol.	126	Verſu	19	eſſi	lege	etſi
Fol.	127	Verſu	27	delata	lege	delato
Fol.	128	Verſu	22	in dubium interdum	lege	indubium reuocent interdum
Fol.	129	Verſu	22	l.c.	lege	P.r.
Eodem		Verſu	25	blaſphmos	lege	blaſphemos
Eodem		Verſu	27	extrhai	lege	extrahi
Eodem		Verſu	32	diſtante	lege	diſtantem
Fol.	131	Verſu	16	ſolute	lege	ſalute
Fol.	132	Verſu	8	viſitauerit	lege	viſitauerint
Fol.	136	Verſu	3	In	lege	in
Eodem		Verſu	15	indulgetias	lege	indulgentias
Fol.	137	Verſu	22			
Eodem		Verſu	28	Potentianæ	lege	Pudentianæ
Eodem		Verſu	32	veuros	lege	muros
Fol.	138	Verſu	2	noſtris	lege	noſtri
Fol.	139	Verſu	18	Lucæ	lege	Luce
Fol.	140	Verſu	3	temporis	lege	tempore
Fol.	142	Verſu	26	dummodum	lege	dummodo
Fol.	143	Verſu	34	infeſtis	lege	in feſtis
Fol.	146	Verſu	31	dignoq;	lege	dignaq;
Fol.	147	Verſu	12	inceſione	lege	inciſione
Eodem		Verſu	22	inceſſionem	lege	inciſionem
Fol	148	Verſu	11	paterna	lege	patena
Eodem		Verſu		hoſtia	lege	hoſtiæ
Fol.	149	Verſu	22	uperſtitionis	lege	ſuperſtitionis
Fol.	151	Verſu	6	ſiugulis	lege	ſingulis
Fol.	154	Verſu	31	controuerſiſię	lege	controuerſiè
Fol.	155	Verſu	33		lege	primitie
Fol.	156	Verſu	11	illuſtriſſimum	lege	illuſtriſſimo
Fol.	160.	Verſu	35	haberi	lege	haberè
Fol.	175	Verſu	4	generalis minorum		
Fol.	177	Verſu	10	forſam	lege	forſan
Fol.	181	Verſu	4	auditoni	lege	audituris
Eodem		Verſu	17	præclandatur	lege	præcludatur
Fol.	188	Verſu	30	raquiſitos	lege	requiſitos
Fol.	190	Verſu	18	ſtrictione	lege	ſtrictiore
Fol.	191	Verſu	20	conſenſus	lege	conſenſum
Fol.	192	Verſu	31	dua	lege	duas.

F I N I S.



INTRODVCTIO IN COLLECTANEA Priuilegiorum SACRORVM ORDINVM Mendicantium,& non Mendicantium, Eremitis Sancti Hieronymi Congreg. B. Petri Pisani Concessorum.



F. ANTONII VIÆ VERONENSIS Dictæ Congr. Eremitæ.



VOD bonum, faustum, felixq. sit quibuscunque regularem vitam ducentibus, in vnum redegimus collectanea. Priuilegiorum Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium; quæ quidem priuilegia nobis etiam Eremitis S. Hieronymi, Congregationis B. Petri de Pisis concessa existunt, per viam Communicationis, & extensionis. Cumque intuitu nostræ Congregationis potissimum præsentem laborem subierimus, (licet cæterorum quoq. ordinum vsibus commodè deseruire possit) propositi nostri ratio exigit, vt formulam huiusmodi

communicationis, & extensionis præmittamus; illamq. ita pro viribus dilucidemus, vt nihil ferè, aut certè parum, quòd hac in re expeti possit, intactum relinquamus.

Offert autem se nobis Pauli III. Constitutio, *Pastoralis officij circa, sexto Id. Maij* 1535. Mare magnum nostri ordinis, *Meritò nuncupandum*, & circumfertur vnà cum alijs priuilegijs nostræ Congreg. Romæ impressis an. 1573. qua Pontifex inter cætera elargitur, & indulget nobis Eremitis S. Hieronymi Congr. B. Petri Pisarum omnia, & singula Priuilegia Eremitarum S. Augustini, hunc in modum.

Ac eisdem Congregationi, Prælatis, Personis, domibus Ecclesijs, & locis, quòd omnibus, & singulis Priuilegijs, concessionibus, immunitatibus gratijs, facultatibus, & indultis Ordini Fratrum Eremitarum S. Augustini, & illius congregationibus, & locis, seù domibus, & Fratribus per Sedem Apostolicam, & per modum extensionis, vel communicationis, sub quibusuis tenoribus, & formis, tàm per litteras sub plumbo, quàm in forma Breuis in genere concessis; quibus Congregationes Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, & illarum domus, & fratres, ac Priores de iure, vel de consuetudine, seu iuxta priuilegia eisdem, concessa in genere, vtuntur, potiuntur, & gaudent; ac vti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum, quorum etiam tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus haberi volumus pro expressis, perpetuò vti, & gaudere possint, in omnibus, & per omnia, perinde, ac si secundò dicta Priuilegia Congregationi B. Petri, & illorum locis, & personis huiusmodi specialiter concessa fuissent, auctoritate, & Tenore præfatis, de speciali gratia indulgemus.

Verùm enimuerò, vt vis, & robur præfatæ concessionis intelligatur; notabilia quædam, tanquam dicendarum fundamenta prælibare, operæ pretium erit.

I. NOTABILE.

PRimo igitur loco animaduertere iuuat, præfatum Pauli Tertij indultum, esse priuilegium ad instar; quandoquidem priuilegiorum communicationes, quibus solent alicuius Religionis, alteri Religioni Priuilegia communicari verè dicuntur priuilegia ad instar; quemadmodum eruditè comprobat Mandosius, de Priuil. ad instar, quæst. 2. num. 9. vbi plura adducit.

II.

II. NOTABILE.

CVm Eremitis Hieronymianis, congreg. B. Petri de Pisis in vniuersum concessa sint omnia, & singula Priuilegia Eremitarum Sancti Augustini, & inter cætera eorundem priuilegia, reperiatur priuilegium; quod ipsi Eremitæ Augustiniani, gaudeant priuilegijs concessis, & concedendis quibuscumque ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium; prout elicitur ex Bulla Clementis Septimi, *Romanus Pontifex, die vltima Octobr.* 1530. apud Confectium in qua, hæc concedit Pontifex Priori Generali Augustinianorum.

Ipsosque Fratres, Moniales, sorores, Personas, Monasteria, domos, Ecclesias, & alia loca Religionis huiusmodi omnibus, & singulis priuilegijs, exemptionibus, indultis, & gratijs quibusuis dicti, & aliorum ordinum, etiam Mendicantium, etiam de Obseruantia nuncupatorum, ac ordinis Prædicatorum, Carmelitarum, B. Mariæ Seruorum, ac Minimorum, & aliorum quorumcumque ordinum, Fratribus, & personis, & Congregationibus, Confraternitatibus, illorumq; Ecclesijs, Oratorijs, Domibus, & alijs Pijs locis, illorumque Prioribus, Fratribus, Sororibus, conuersis, & oblatis, corrigeratis, Mantellatis, & de pænitentia nuncupatis, & alijs vtriusque sexus personis, per eosdem Prædecessores, ac etiam per nos, hactenus quomodolibet, etiam viuæ vocis oraculo, in genere concessis, & in posterum etiam concedendis, &c. vti, frui, & gaudere posse, & debere, in omnibus, & per omnia perinde, ac si tibi, & ordini tuo, ac Fratribus Monasterijs, Ecclesijs, & locis eiusdem ordinis tui concessa fuissent, scientia, auctoritate, & tenore prædictis etiam decernimus; illorumque transumpta tibi, dictoque tuo ordini, illisque personis, locis, &c suffragentur, ac si eis tuus ordo, illiusque Prælati, personæ, & loca nominatim fuissent, & essent expressa.

Meritò etiam Eremitis S. Hieronymi huiusmodi Priuilegium, virtute præfatæ communicationis, videtur concessum. Vnde gaudere poterunt priuilegijs concessis, & concedendis quibuscumque ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium, perinde, ac si ipsis in specie concessa fuissent, idque iuribus à Mandosio citatis, in Tract. de priuilegijs ad instar, Glossa 11. sub num. 7. 8. & 9. quò loci Oldradum refert, qui cons. 300 Factum tale est, in terminis ferè consuluit; Habentem priuilegium ad instar alicuius Priuilegiati, habere etiam Priuilegium, quòd priuilegiatus ad instar alterius priuilegiati obti-

net; atque ita cùm Eremitæ S. Hieronymi habeant priuilegia ad instar Eremitarum S. Augustini, & Eremitæ S. Augustini habeant priuilegia ad instar omnium ordinum Mendicantium, & non Mendicantium; pariter Eremitæ S. Hieronymi ex vi concessionis, de qua agimus, habebunt priuilegia omnium Ordinum Mendican. & non Mendic. siquidem concessio referens se ad priuilegia alteri concessa, non minùs operatur, quàm si priuilegiato, omnia, & singula alterius priuilegia sigillatim, & specificè concessa, illaq. omnia in concessione seriatim narrata fuissent: cum relatum dicatur esse in referente, l. Asse. toto ff. de hæred. institu. sicque consuluit Card. Parisius, cons. 22. Mandatum num. 5. volum. 4. Vide infra Notab. fin. versic. Verum enimuerò. Et in meis collecta. V. communicatio priuilegiorum, in Animad. post num. 2.

Itidem præfatæ concessionis vigore, gaudebunt Eremitæ S. Hieronymi omnibus priuilegijs, Exemptionibus, & facultatibus concessis quibuscumque Religionibus Militaribus; Necnō Collegijs, Vniuersitatibus, Cōfraternitatibus, ac Pijs locis, etiam cum Clausulis annullatiuis, cassatiuis, exceptiuis, ac communicationis prohibitiuis, alijsq; efficatioribus, & insolitis Clausulis, & decretis irritantibus in genere, vel in specie; quemadmodum talibus gaudere certum est congreg. S. Bernardi ordinis Cistercienscis Regnorum Hispaniæ ex indulta Greg. XIV. *Romanus Pontifex* 28. *Iunij* 1591. apud Rod. fol. mihi 518. vbi legimus; *omnia, & singula priuilegia, prærogatiuas, concessiones, antelationes, fauores, facultates, declarationes, absolutiones, relaxationes, dispensationes, stationes, indulgentias, etiam plenarias, ac peccatorum remissiones, conseruatorias, immunitates, exemptiones, libertates, praeminentias, & indulta cuiusuis generis existentia, caeterasque gratias, spirituales, & temporales, tàm eidem Cisterciensi, eiusque Abbati, & Capitulo etiam Generali, ac quibusuis alijs illius Monasteriorum Abbatibus, etiam quatuor primis de Firmitate, Pontiniaco, Clarauallе, & Morimundo, quàm etiam S. Benedicti, ac quibusuis alijs similium, & dissimilium ordinibus, & Religionibus, sub quibusuis regulis, constitutionibus, aut ordinationibus degentibus, seu militantibus, & quibusuis illarum respectiuè congregationibus, Militijs, eorumque professoribus, ac vtriusq; sexus eorum Monasterijs, omnibus, Ecclesijs; Necnon Collegijs, Vniuersitatibus, Confraternitatibus, Pijs, ac Charitatiuis locis, &c. concessa, &c. eisdem auctoritate, & tenore similiter perpetuò extendimus, eisque communicamus*. Et infra,

stra, quibusuis etiam annullatiuis, cassatiuis, & infectiuis, declaratiuis, exceptiuis, modificatiuis, mentis attestatiuis, & etiam communicationis, prohibitiuis, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis irritâtibus, ac etiam derogatoriarum derogatorijs in genere, vel in specie; etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac alias quomodolibet, &c. concessis, confirmatis, iteratis vicibus approbatis, & innouatis; Quibus omnibus, illorumque omnium, & singulorum tenoribus, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, & insererentur, &c. præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, harum serie, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque.

Porrò sub priuilegiorum communicatione, veniunt etiam viuæ vocis oracula; idque ex declaratione Iulij 2. F.F. Augustinianis facta in litteris sub forma Breuis, die 30 Iun. 1508. apud Rod. fol. mihi 264. ex quibus talem elicit clausulam.

Decernimus communicationem aliorum ordinum Mendicantium, ad ea etiam extendi, quæ viuæ vocis oraculo ab illis impetrata, aut eis in genere donata sunt. Volentes, vt quicquid alicui eorundem & hoc modo, aut quouis alio concessum est hactenus, aut in posterum concedetur, siue Conuentualibus, siue Obseruantibus nuncupatis; id omne motu proprio, & certa scientia vobis esse concessum.

III. NOTABILE.

POssunt insuper Eremitæ Hieronymiani, attenta antedicta concessione potiri, & gaudere priuilegijs non solum vniuersaliter concessis; & concedendis alicui Ordini ex supradictis, sed etiam specialiter cuilibet Monasterio eorundem ordinum; quandoquidem priuilegia concessa, & concedenda alicui Monasterio ordinis Mendicantium, cæteris etiam Monasterijs, ac toto ordini concessa existunt à Leone X. in Bulla. *Dudum per nos* 10. *Decembris* 1519. à Confettio. Bulla 18. & Mir. in Manu. Prælatorum, p. 1. q. 21. art. 1. relata, vbi legitur, *Omnes, & singulas gratias, concessiones, indulgentias, peccatorũ remissiones, prærogatiuas, fauores, immunitates, exemptiones, facultates, priuilegia, indulta, tàm spiritualia quàm temporalia, qualiacũque illa essent, quæ Prædicatorum, Minorum, Eremitarum Sancti Augustini, Carmelitarum, Seruorum B. Mariæ, ac Minimorum Fratrum, in*

domibus, & illorum Ecclesijs, Oratorijs, ac Ecclesias ipsas, & Oratoria pro tempore visitantibus, cuiuscunque status, aut sexus existerent seu pro eorum manutentione, & ornatu contribuentibus, necnon domibus, & præsidentibus, non solum Generalibus, & Prouincialibus, Fratribusque, & Sororibus, necnon Monialibus, & Conuersis, Oblatis, atriusque Sexus personis, de pænitentia, seu tertij habitus nuncupatis à dictis prædecessoribus, aut a nobis, ipsisque successoribus, aut aliàs auctoriatem habentibus coniunctim, vel diuisim in genere, vel in specie concessa fuerunt, aut in posterum concedentur, illa, & omnia singula, ac nominanter exprimerentur pro sufficienter expreßis tunc habentes, singulis Ordinibus prædictis, illorumq; singulis Ecclesijs, Oratorijs, & Ecclesias, ac Oratoria visitantibus cuiuscunque status, aut sexus existerent, seu pro eorum manutentione, & ornatu contribuentibus; Necnon domibus, & Conuentualibus Fratribus, etiam, & sororibus, vel Monialibus, Conuersis quoq; & oblatis, ac vtriusq; sexus personis de pænitentia nuncupatis, & alijs singulorum Ordinum prædictorum, Motu proprio, & ex mera nostra scientia, & liberalitate de Apostolicæ authoritatis plenitudine communicauimus. Illaque omnia, & singula inter dictorum Ordinum personas, pariformiter, communia fuisse, & esse volumus.

Eiusmodi indultum concessum fuit fratribus Minimis à Clemen. VII. in Bulla, *Deuotionis augmentum, die* 22. *Septembris.* 1532. apud Confettium hunc in modum.

Vestris in hac parte supplicationibus inclinati, omnia, & singula priuilegia, immunitates, indulgentias, exemptiones, & indulta, vni, aut pluribus domibus. Ordin. huiusmodi specialiter concessa, ad omnes, & singulas ipsius Ord. domos, de nouo susceptas, & suscipiendas eadem authoritate Apostolica per præsentes de nouo extendimus, & ampliamus, ipsasq; domos susceptas, & suscipiendas, eisdem priuilegijs, immunitatibus, gratijs, & indulgentijs, & indultis, alijs domibus specialiter concessis, pariformiter, & æquè principaliter potiri, & gaudere, ac si singulis domibus susceptis, & suscipiendis, & Christi fidelibus illorum Ecclesias visitantibus specialiter concessa fuissent.

Eandem concessionem Pius IV. Ordin. Sanctiss. Patris nostri Hieronymi Hispaniarum indulsit 4. Kal. Aug. Pont. sui Anno 6. à Rod. Tom. 1. Quæstionum Regularium, quæst. 55. ar. 9. & 18. & à Mir. p. 2. quæst. 46. art. 7. relatam, vbi legitur, *ad instantiam Inuictißimi Regis Philippi Hispaniarum Secundi huius nominis, omnia, & singula priuilegia,*

legia, immunitates, exemptiones, & prærogatiuas, indulta temporalia, fauores, & gratias Ordinis, & singulis, & cuiuis Monasterio per quoscunque Rom. Pontifices Prædec. ac per se, & Sedem Apostolicam, eiusq; Legatos, & Nuntios in genere, vel in specie concessa, ad omnia, & singula Monasteria Ordinis tàm Virorum, quàm Mulierum, quibus in specie cōcessa non sunt, & in quibus alia causa concessionis, & indultorum prædictorum aliàs, quàm (vt præfertur) suberant, ad id vt ipsa Monasteria illis pariformiter vti, frui, & gaudere possint; & deberent, perinde, ac si eis specialiter concessa fuissent, Auctoritate Apostolica extendit, & ampliauit, illaq; inter omnia, tàm Virorum, quàm Mulierum Monasteria Ordinis in omnibus, & singulis communicauit.

Hoc idem Clementi VIII. Confirmare & concedere placuit eidē Ordini in Bulla, *In supremo militantis Ecclesiæ, die 25. Septebr. 1601.* quæ habetur in Collect. Rod. hisce verbis; *Nos igitur*, & infra, *Philippi Regis supplicationibus inclinati, omnia & singula priuilegia, prærogatiuas, exemptiones, libertates facultates, gratias fauores, & indulta, tàm spiritualia, quàm temporalia, eidem Ordini Sancti Hieronymi, ac omnibus, & singulis eius Monasterijs, Ecclesijs, Domibus, locis, & infra per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem Apostolicam, illiusque etiam de latere Legatos, & Nuntios in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ Potestatis plenitudine*, & infra, *in genere, vel in specie, etiam per modum communicationis, seu extensionis inter se, ac cum alijs Ordinibus, Mendicantibus, & non Mendicantibus; sub quacumque forma, & expressione verborum quomodolibet concessa*, & infra. *quatenus sint in vsu, & decretis Concil. Trident. non aduersentur, Apostolica authoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, & singulos tàm iuris, quàm facti, ac Solemnitatum, etiam substantialium defectus, si quis interuenerint in eisdem supplemus, ac illa omnia, & singula de vno ad aliud Monasterium eiusdem Ordinis extendimus, ac ad inuicem, & vicissim communicamus, per inde, ac si cuique illorum nominatim concessa extitissent, &c.*

Hinc facilè colligere possumus, quænam fides adhibenda sit negantibus priuilegia particularibus domibus alicuius Ordinis Regularium concessa, cum omnibus domibus, & locis eiusdem Ordinis, multoque minus cum alijs Ordinibus Regularium communicari; propterea quod, si in aliquo Ordine, verbi gratia, Pontificis

Priuilegio eximeretur Monasteriũ à Iurisdictione Generalis, prout re ipsa, Monasteria quędam exempta reperiuntur; tunc ex asserta priuilegiorum communicatione, quodlibet Monasterium dicti Ordinis exemptum esset ab eadem iurisdictione, atque ita daretur Religionis Generalis absque Religione, quod videtur omnino absurdum.

Siquidem huiusmodi doctrina pugnat ex diametro, cum Pontificum declarationibus; quibus magis inniti debemus, quam opinioni cuiusuis Doctoris cap. de libellis, 20. distinct. D. Thom. 2.2. quæst. vndecima, artic. 2. ad tertium argumentum Decius in capit. 1. lect. 1. numero secundo, de constit. Nec aliquid negotij facessere debet ab ipsis adductum absurdum, propterea quod, vt inferius planum fiet, priuilegiorum communicatio, & extentio non refertur ad priuilegia, quæ Constitutionibus Ordinum, & Obseruantiæ Regulari quoquomodo repugnant, aduersanturque.

Præterea nos etiam fatemur, ex assertione Roderici Tom. 1. Quæstionum Regularium, quæst. 55. artic. decimo octauo, per declarationem Leonis X. Priuilegia personalia particularia esse alijs incommunicabilia, non autem particularia localia, vt dictum est.

Nec etiam obstat, si dicatur, Priuilegium alicui Religioni quibusdam conditionibus concessum, alteri Religioni, ijsdem conditionibus non existentibus, non esse commune; Quia cessante causa Priuilegij expirat priuilegium, cap. cùm cessante, de appellat. Hoc inquam non obstat. Nam Pius Quartus, hanc sustulit dubitationem, communicando omnia priuilegia, licèt in illis non subsistant causæ prioris concessionis. Ex quibus apertè constat Priuilegia concessa aliquibus domibus particularibus in Ordine Santissimi Patris Nostri Hieronymi ob aliquam particularem causam, per Pium Quartum, ad omnes illius Ordinis, & per communicationem, cuiusuis alterius ordinis domos, fuisse extensa, etiamsi in illis eædem causæ concessionis, & dictorum indultorum non subsint, sed aliæ. Rodriq. loc. cit. art. 9. & 18. & q. 56. art. 3. col. 4.

IV. NOTABILE.

QVæ autem secundo, & tertio Notabile dicta sunt, locum habere scias, dummodo constet de priuilegijs communicatis, & extensis ad ipsos Eremitas Hieronymianos; quando enim concessio ad instar fit generaliter de Priuilegijs alteri concessis, ipsis mini-

minimè specificatis, prout sunt concessiones Pauli III. & Leonis X. superius relatæ, eo casu, certum est, concessionem generalem ad instar, nihil operari, nisi constet de Priuilegijs ad quæ fit relatio; vt ex traditione glossæ in cap. contra morem. V. consuetudines distin. 100. probat Mandosius loc. cit. quæstione quinta, numero 2. secus esset, si huiusmodi concessio fieret specialiter de aliquo, seu aliquibus priuilegijs alteri concessis; illis, eorumq; tenoribus sigillatim specificatis, addita tamen clausula; *prout talis habet*, seu *ad instar talis*; vel alia simili; quo casu licèt hæc concessio referat se ad Priuilegia alteri concessa operatur tamen, etiam si non constet de Priuilegijs ad quæ fit relatio. Mandosio pluribus DD. auctoritatibus loc. cit. numero quarto, quinto, sexto, & septimo, ita concludente, refellenteq; nonnullorum oppositam sententiam, qui dixerunt priuilegium ad instar alterius cōcessum, etiamsi in eo totus priuilegij tenor inseratur, nihil operari, nisi constet de Priuilegio iam concesso.

V. NOTABILE.

QVemadmodum, reuocatis Priuilegijs Eremitarum S. Augustini non censentur reuocata priuilegia, quæ ad illorum instar Eremitis Hieronymianis concessa sunt, ad notata per Baldum in l. omnia vers. secundò quæritur, C. de Episc. & Cleric. Abbatem in cap. 10. fin. colum. 2. vers. sed quæritur, ne Cler. vel Monach. relatos à Mandosio loc. cit. quæst. 6. num. 1. quibus in locis concludunt, priuilegia concessa ad instar, etiam reuocatis illius priuilegijs, ad cuius instar posteriora priuilegia erant concessa, non aliter intelligi reuocata, quàm si relatio, (eorum verbis vtar) facta esset per modum causę fiendæ, veluti si Eremitis Hieronymianis cōcessa essent priuilegia Augustinianorum, quibus, seu prout ipsi Augustiniani vtentur, & gaudebunt; quo casu, cùm gratia, & concessio priuilegiorum semper ab vsu Augustinianorum depēdeat, cessante illo vsu, gratia quoque cessaret; hoc tamen non adest in cōcessione facta Eremitis S. Hieronymi, quibus priuilegia conceduntur, quibus Augustiniani tempore concessionis vtebantur, atque gaudebant; prout in litteris Pauli III. videre est. Ita confirmatis in forma communi priuilegijs Augustinianorum, non censebuntur confirmata priuilegia Eremitarum Sancti Hieronymi ad illorum instar; contrariorum enim eadem est disciplina, & pariformis ratio, §. plus autem, Institut. de Action. l. penult. iuncta glossa fin.

ff qui

ff. qui satisd. cogant. traditq; Mandosius l. c. quæstione septima, numero secundo.

Sin autem nedum præsentia, sed etiam futura Augustinianorum priuilegia concessa fuissent, id quod concessisse videtur. Paulus III. in præfatis literis Eremitis Hieronymianis, verbis illis; *Ac vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum.* Explorati iuris est, quòd confirmatis ex certa Pontificis scientia, Priuilegijs Augustinianorũ; etiam Priuilegia Eremitarum Sancti Hieronymi ad illorum instar confirmata erunt; quoniam ex Doctrina Mandosij, l.c. nu. 2. & Suar. de leg. lib. 8. cap. 18. num. 12. & cap. 19. num. 4. 5. & 10. huius generis confirmatio, est veluti noua Priuilegiorum concessio; adeo vt confirmationis naturam facere videtur; iuxta ea quæ scribit Decius super Rubr. de confirm. vtil. vel inutil. colum. 1. vers. *Et retenta descriptione*, num. 4.

Accedit, quòd huiusmodi confirmatio ex certa scientia, vocatur gratia apud Canonici iuris interpretes; Archidiaconum in cap. si Motu proprio; col. 1. vers. Præterea talis confirmatio, de præbend. in 6. Baldum in cap. cum super, de causa poss. & prop. Mandosium l.c. numero tertiò, Cùmque in concessione facta Eremitis Sancti Hieronymi, concedantur, non solum Augustinianorum Priuilegia, sed etiam eorum gratiæ; hinc meritò fit, vt Augustinianorum Priuilegijs ex certa scientia confirmatis, etiam Priuilegia Eremitarum Sancti Hieronymi ad illorum instar confirmata censeantur. Vide etiam Rodriq. qq. Regular. Tom. 1. q. 8. art. 3. 4.

VI. NOTABILE.

PLus profitemur: Confirmatis ex certa scientia Priuilegijs Augustinianorum, ac cæterorum Ordinum; censeri confirmata, non solum priuilegia, quæ Eremitæ Sancti Hieronymi ad instar Augustinianorum, & aliorum Ordinum obtinent, sed etiam eorum propria, & particularia. Nam si confirmatio ex certa scientia, omnia Augustinianorum, & cæterorum Ordinum Priuilegia confirmat; debet etiam confirmare omnia Priuilegia Eremitarum Sancti Hieronymi, alioquin essent magis priuilegiatæ illę Religiones, quàm ista, cui priuilegia ad instar illarum sunt cõcessa; propterea quod, Priuilegium illud, seù confirmatio, omnia illarum Religionum, istius verò non omnia priuilegia confirmaret: quòd menti Pontificis aduersaretur, qui vult

Eremitas

Eremitas Sancti Hieronymi non minus quam Augustinianos, cæterosque ordines priuilegijs gaudere. Ex quo sequitur, quòd confirmatio, quatenus refertur ad Augustinianos, & ad alios ordines, omnia eorum priuilegia confirmabit, vt verba iuxta conditionem eius, in quē diriguntur interpretemur, l. plenum, §. Equitij, ff. de vsu, & habit. Roman. conf. 32. Visa nu. 9. Decius conf. 65. Et pro tenui mea facultate, num. 3. quos refert, ac sequitur Mandosius l. c. quæst. 8. numero 2. scribens, num. 4. Confirmatis Mendicantium Priuilegijs, etiam particularia priuilegia Soc. Iesu, quæ eorum gaudet priuilegijs, confirmata existere.

Quamuis ex alio etiam capite asserere possumus, particularia priuilegia Eremitarum S. Hieronymi confirmata, si ex certa scientia cōfirmarentur priuilegia Augustinianorum; Siquidem Augustiniani, quibus Clemens VII. in Bulla superius relata, Romanus Pontifex, concessit aliorum quorumcunque ordinum priuilegia, tàm concessa quàm concedenda, gaudent etiam vigore huius concessionis, seù communicationis priuilegijs particularibus Eremitarum S. Hieronymi, & Pontifex confirmans omnia Augustinianorum priuilegia, videtur etiam confirmare ea, quibus ipsi Augustiniani gaudent vigore communicationis, & sic etiam priuilegia particularia Eremitarum S. Hieronymi, quibus Augustiniani gaudent. Cùm autem Eremitæ S. Hieronymi, vt paulò superius dictum fuit, gaudeant huiusmodi confirmatione, censentur absque vllo scrupulo confirmata omnia eorum priuilegia; tàm ea, quæ ipsi obtinent ex præfata communicatione, quàm eorundem propria, & particularia.

Verum enim in huius Notabilis extremo, iuuat lectorem commonefacere, his non obstātibus, oppositum verius videri Suarez. l. c. cap. 19. nu. 12. & Comit. lib. 3. Respon. Moral. q. 20. num. 6.

VII. NOTABILE.

EAtenus Eremitæ Sancti Hieronymi gaudere possunt priuilegijs Augustinianorum, cæterorumque ordinum; quatenus ipsa Priuilegia consona sunt eorundem constitutionibus; si enim particularibus ordinis institutis, ac ordinationibus ritè, & rectè latis repugnarent; explorati iuris est, vigore prædictæ concessionis, ipsos non posse talibus vti priuilegijs. Tum quia inuerisimile est, Pontificem

per

per generalem Priuilegiorum communicationem, voluisse derogare constitutionibus ordinis, in quibus religionis fundamentum consistit: Et quibus cessantibus, vniuersus religionis ordo corrueret. Vnde generale Priuilegium ad illud trahi non debet, quod Princeps in specie non esset verisimiliter concessurus. cap. in generali, de reg. iur. in 6. & cap. Pastoralis, cum glossa, de Priuileg.

Hinc Romanus consil. 180. si admittimus, num. 7. & 8. scriptum reliquit, priuilegia alicui ordini intuitu quietis, & tranquillitatis concessa, non debere operari contrarium effectum; iuxta iuris regulam: Priuilegia ad vnum finem inducta, non debere operari diuersum, l. Nulla iuris ratio, ff. de legibus. Tùm quia ex specialibus Eremitarum Sancti Hieronymi constitutionibus, atque institutis, eorum ordini specialiter est prouisum: Vnde concessio generalis, quæ ex Priuilegiorum communicatione resultat, ad ea nullatenus referri debet, in quibus specialiter est prouisum, argum. l. Doli, ff. de verb. obligat. confertq; Oldradus consilio 266. Quod autem colum. secunda, numero vndecimo, vers. Præterea. Extra quam quod videtur esse textus apertus in cap. si propter, de Rescript. in 6. vbi priuilegium generale nil operatur circa ea, in quibus ecclesia speciales habet constitutiones, & statuta.

Accedit, ordinis constitutiones esse quædam pacta; vnde valet argumentum de pacto ad constitutionem, ex doctrina Romani, consilio 399. Vt præsens, num. 3. vers. Clarum est. Pactis autem non censetur derogari, ex priuilegio generali superuenienti; nisi de illis fiat specialis mentio; cap. Ex multiplici; vbi Panorm. numero quinto, de Decimis. Igitur, neque etiam constitutionibus ordinis nisi specialis mētio de illis fiat. In hancque opinionem descendit Mandosius loc. cit. gloss. 8.

Quæ quidem opinio corroborari potest Romani Pontificis declaratione, videlicet Pij V. in constitut. *Religionis Zelus. die* 30. *Martij* 1571. confirmantis, & de nouo concedentis priuilegia Ordinis Eremitarum Sancti Hieronymi, Congreg. B. Petri de Pisis, quatenus obseruantiæ non contrarientur in hunc modum, *Motu proprio, non ad vestrum, aut alicuius vestrum, seu alterius pro vobis super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de mera liberalitate, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine omnia, & singula priuilegia, facultates, libertates, immunitates, exemptiones, prærogatiuas, indulta, & alias gratias vniuersas, spirituales, & tem-*

& temporales Vobis, & dictæ vestræ Congregationi, illiusque Capitulo, & personis, ac Monasterijs, & locis per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, & etiam forsan nos, ac sedem prædictam, & etiã illius legatos, necnon etiam locos ordinarios quomodolibet hactenus, & in præsentem vsque diem, ac etiam à quantumuis antiquo tempore concessa. Quatenus Sacri Tridentini Concilij decretis, & regulari obseruantia contraria non sint, & quo ad ea, quæ decretis Concilij, & regulari obseruantia huiusmodi non contrariantur &c.

VIII. NOTABILE.

COnceſſio de qua loquimur, ſicuti etiam cætera Priuilegia præfato ordini conceſſa, ad nouitios non pertinent; cum ij, nec verè, nec cum effectu religioſi vocari poſſint; quemadmodum habetur in cap. Religioſo. §. fin. de ſenten. excom. in 6. quamuis autem Nouitij, ſine inſpecto, ad quem tendunt, valeant quodammodo profeſſi iudicari; hoc tamen non eſt adeò verè, ac propriè, vt Membra religionis, ac perſonæ cenſeri debeant; quo fieri docet Mandoſius l. cap. gloſſa 7. num. 34. vt Priuilegia ſingulis alicuius Religionis perſonis conceſſa, ad nouitios non protrahantur; eo quod priuilegia, data etiam paritate rationis, de perſona ad perſonam extendi non debent cap. ſanè; vbi ſcribentes de priuileg.

Neque obſtat; Nouitios, non ſecus, ac profeſſos, priuilegio immunitatis Eccleſiaſticæ gaudere, qui enim illos percutit, eidem excommunicationi ſubiacet, quam incurriſſet, ſi in religioſum profeſſum Manus violentas inieciſſet d. cap. Religioſo. §. fin. de ſent. excom. in 6. Quoniam ex communi DD. ſententia, ſpeciali iure id indultum extat in Eccleſiaſtica immunitate, fortaſſeq. ob habitus reuerentiã, quam nouitij geſtant; perinde ac ſi ex eo ius commune in contrarium elici poteſt. l. vis ſingulare, & l. quod verò. ff. de legibus. Hæc porrò intelligantur, attento iure communi. Si enim aliquod extaret priuilegium, vt ſingulæ Religionis perſonæ, tàm nouitij, quàm profeſſi, priuilegijs æqualiter gauderent; oppoſitum omnino eſſet dicendum. Vt videre eſt infra in Collectan. V. Nouitius.

IX. NOTABILE.

INſpectis verbis, & tenore Paulinæ Conceſſionis, à quibus nullo pacto eſt recedendum. cap. porrò, & cap. Recepimus de priuil. ſingulares perſonæ ordinis Eremitarum S. Hieronymi, poſſunt vti priuilegijs prædictis, ſine alia facultate Prioris Generalis eiuſdem Congregationis. Nam Pontifex non tantùm concedit priuilegia Ordini Eremitarum S. Hieronymi; Verum etiam perſonis, illaque vnicuique in ſolidum tribuit. Vnde priuilegia huic ordini, & perſonis eiuſdem conceſſa, vocantur priuilegia communiter, & ſingulariter corporalia; ideſt ita ordini Eremit. S. Hieron. conceſſa, vt etiam ſinguli in præfato ordine exiſtentes, illis ſe iuuare poſſint; iuxtà doctrinam Hoſtienſis in ſum. tit. de priuil. §. Quot ſint ſpecies Priuilegiorum; verſ. ſingulariter autem. Quare cum Pontifex omnibus perſonis dicti ordinis priuilegia concedat, nec alicuius requirat licentiam; non debemus nos illam requirere. Quod enim lex non dicit, nec nos dicere debemus. argum. l. ſi verò §. de Viro ff. ſolut. matrim.

Quod etiam extendimus ad priuilegia Societ. Ieſu; quamuis ex ſpeciali Greg. XIII. diſpoſitione, ipſius Religioſi vti nequeant gratijs directè, aut indirectè per viam communicationis ſibi conceſſis, niſi à Præpoſito Generali communicatæ ipſis fuerint idque auctoritate Romani, conſil. 382. Quo ad primum, ſub num. 6 ſcribentis; priuilegiatos ad inſtar, non intelligi æquiparatos quo ad incommoda, ſed tantùm quo ad commoda; cui ſuffragatur Gloſſa in l. 2. Cod. de iure aure. anul. quò loci Libertus, quò ad inſtar Ingenui, ex Cæſaris liberalitate, anulo vtitur aureo, Eatenus pro ingenuo reputatur, quatenus agitur de fauore, non de incommodo. Hæc autem intelliguntur: dummodo vſus talium priuilegiorum regulari obſeruantiæ, & conſtitutionibus ordinis nullatenus contrarientur: iuxta Notabile ſeptimum.

X. NOTABILE.

INtegrum erit Eremitis Hieronymianis, vti priuilegijs ordinum Mendicantium, & non Médic. ſecum Communicatis, tametſi ipſi ordines talibus priuilegijs non vterentur, propterea quod in priuilegiorum Communicatione, ſi vnus vtitur priuilegio multis conceſ-

ſo, al-

so, alter verò non vtitur, non vsus istius, illius vsui obstare non debet; prout ex traditione Innocent. in cap. Accedentibus, de priuileg. Panorm. in cap. Cùm accessissent, num. 8. in fin. de const. & Sylu. V. Priuilegium. §. 11. vers. *Aut fuit*: comprobare videntur Rode. qq. regg. Tom. 1. quæst. 55. artic. 19. Miranda l.c. art. 8. concl. 1. quibus addere possumus, in priuilegiorum communicatione non vsum, sed ius vtendi communicari, eodem Miranda auctore, l.c. conclus. 2. Cùm autem priuilegia Religionum, eo ipso, quod communicantur, communia fiant, ac propria earundem Religionum cum quibus communicātur: Meritò si vna Religio non vtitur suis priuilegijs, ius, quod aliæ Religiones habent ad huiusmodi priuilegia, nullo modo amittetur.

XI. NOTABILE.

QVoties Eremitis S. Hieronymi damnum, vel incommodum vitare contigerit, vti poterunt priuilegijs per viam communicationis sibi concessis, contra cæteros Regulares æquè priuilegiatos; Quicquid scripserit Confectius in collect. priuileg. in summa Materiarum notabil. Tit. 3. cap. 5. quò loci negat absolutè, Regulares priuilegiatos ad instar, vti posse priuilegijs, aduersus Regulares æquè priuilegiatos. Cuius opinioni aduersantur Cordubensis in Notis ad compend. priuileg. ff. Minorum. V. Communicatio priuilegiorum, in fine. Et Miranda l.c. art. 9.

Non obstat iuris regula, priuilegiatū non gaudere priuilegio, contra pariter priuilegiatum. l. sed & Milites §. primò. ff. de excusat. tuto. fallit enim, quando priuilegiatus tractat de damno vitando, quo casu contra æquè priuilegiatum priuilegio vti potest, ex doctrina Mandosij Tract. de priuil. ad instar. q. 10. num. 2. plures DD. adducentis; præ cæteris verò Romanum, cons. 179. Amplissime Doctor. num. 16. vers. Quia Clarum; qui ait; Quando duo priuilegia ad inuicem pugnantia concurrunt, qui tractat de damno vitando, vtitur priuilegio suo contra illum, qui tractat de lucro captando hic est casus. ff. de Minor. l. verum. §. fin. Et omnes plenè ponunt in Auth. quas actiones. Cod. de Sacros. Eccles.

Fauent Bartolus in Auth. Quas actiones nu. 3. Cod. de Sacros. Eccles. Decius in l. non debet actori, §. In re obscura. nu. 2. ff. de reg. iur. Doctissimus Menochius cons. 144. n. 10. docentes, semper illius causā procedere, qui agit de dāno vitando, etiam inter duos priuilegiatos.

XII. NO-

XII. NOTABILE.

PRo coronide tandem præsentis introductionis superaddere placet; quòd licet secundum scribentes in cap. Accedentibus, de Priuil. Priuatorum priuilegia per contrarios actus, seù per non vsum decenij amitti videantur; id tantum locum non habere, certum est, in priuilegijs Regularium, quæ sanè per non vsum (nunquam adueniente casu illis vtendi, iuxta Glos. in cap. Abbate, §. His igitur V. donec, de Verb. signific.) vel per contrarium vsum nullatenus tolli; ex Sylu. l.c. animaduertit Miranda l.c. q.42. art.4. concl. 2. nisi per spatium 40. annorum, ex dispositione iuris communis, Aut 60. ex priuilegio Eug. IIII. Monachis S. Benedicti Vallisoleti. 1434. concesso, ab eodemq. relato, contra ipsa præscribantur.

Quin etiam, idem Eugenius in Bulla, *Etsi quaslibet personas, prid. Kal. Iulij* 1436. apud Rodericum, hæc concessit Monachis Cassinensibus.

Adijcientes etiam, quod si quandoque contigerit per aliquem, aut plures actus contra huiusmodi, aut quæcumque alia priuilegia, indulta, gratias immunitates, & ordinationes præfatæ Congregationi concessa, aut ipsorum aliquod à quocumque cuiuscumque conditionis, dignitatis, gradus, seù status existat; ex negligentia, vel ignorantia præsentium, vel futurorum, quibus hæc conceduntur, aut alia quauis causa, fuerit aliter attentatum, vel pro tempore obseruatum ignoranter, vel scienter; nullum tamen praiudicium decretis, priuilegijs, indultis, gratijs, immunitatibus, ordinationibus huiusmodi volumus generari; sed in suo vigore, ac robore permanere.

Idipsum Sixtus IIII. in Bulla, *Dum ad vniuersos regulares ordines* 10. *Kal. Septembris* 1477. relata inter priuilegia Lateranensis Congregationis, hunc in modum Canonicis dictæ Congreg indulgere voluit.

Adijcientes, vt si quando contigerit per aliquem, seù plures actus contra huiusmodi, vel quæcunque alia decreta, priuilegia, indulta, gratias, & immunitates, præfata Congregationi concessa, aut ipsorum aliquid, à quocumq. cuiuscumq. conditionis, dignitatis, gradus, & status existat, & negligentia seu ignorantia præsentium, & futurorum quibus ea conceduntur, aut alia quauis causa aliter attentari, vel obseruari, scienter, vel ignoranter; nullum tamen per hoc praiudicium decretis,

cretis, indultis, gratijs, & immunitatibus præfatis generetur; sed illa suo vigore, & perpetuo robore firmatis, perpetuò permaneant.

Ex quibus planè colligitur, Eremitas S. Hieronymi, vigore huiusmodi concessionum, nunquam amittere sua priuilegia ex non vsu, seu ex actibus contrarijs; immo ea semper ipsis competere, quamuis in illorum ignoratione versentur; prout declarat Mandosius l.c. glossa 7. num. 50. quod etiam de Priuilegijs Referendarijs concessis respondit Rota, teste Card. Put. decis. 21. l. 2. hisce verbis.

Septima Maij 1543. fuit resolutum in vna Taurinen: parochialis S. Iacobi, quòd Priuilegium datum Referendarijs, dato, quòd ipsi nō faciant Collegium, tamen competit eis, etiam quòd ignorent priuilegium.

Et licet communis conclusio sit, quod Priuilegium non quæratur alicui, nisi à die scientiæ; vt per Iasonem in l. fin. ff. de const. Princ. Tamen fuit dictum, quòd illud venit, quando Priuilegium datur alicui personæ priuatæ. Vide etiam Suarez l.c. cap. 34. nu. 4. & 5 & cap. 35. nu. 4. 5. 6. & seqq. & Quæstionum Regularium, Rod. tom. 1. q. 8. art. 5. Et infra, in Collectan. V. Priuilegia. nu. 7. & Animad. sequen.

Ad vberiorem verò confirmationem eorum, quæ in hac introductione dicta sunt, vt respondeant vltima primis, lectorem admonitum volumus; Pium V. quoque omnia, & singula Priuilegia Ordinū Mendicantium per viam communicationis, & extensionis concessisse FF. Eremitis S. Hieronymi, prout videre est in Bulla, *Religionis Zelus* 30. *Mart.* 1571. vbi legimus.

Et præterea vos, & eandem Congregationē vestram, illiusq; Fratres, & personas, ac Monasteria, & loca, Bullæ Confirmationis, nouæq; concessionis Priuilegiorum omnium Ordinum Mendicantium per nos nuper, seu dudum æditæ, illius etiam tenores, et datam cum inde secutis præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes in omnibus, & per omnia, ac ad instar dictorum ordinum, & æquè principaliter, ex nunc, & perpetuò auctoritate, & tenore prædictis aggregamus, ac pro aggregatis haberi, censeri, & teneri in iudicio, & extra iudicium vbilibet volumus, declaramus, & mandamus &c.

Verum enimuerò, concessis Mendicantium Priuilegijs, censentur etiam non Mendicantium Priuilegia concessa; quandoquidem inter Mendicantium Priuilegia extat, non solum Priuilegium Leonis X. die 10. Decembr. 1519. Concessum à Confett. & Miranda, vt supra Notab. 3. relatum, quo ipsi Mendicantes vniuersaliter gaudent Pri-

uilegijs non Mendicantium, sed etiam Clement. VII. extendentis ad FF. Minores Regul. Obseruantiæ quæcumque Priuilegia Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium, tàm concessa, quàm concedenda; Sic enim elicitur ex Bulla, *Dum fructus vberes die 30. Maij* 1525. apud Capuccinum, Rodericum, & Confettium.

Ipsosq. Fratres, Moniales, sorores, personas, Monasteria, domos, Ecclesias, & alia loca huiusmodi omnibus, & singulis Priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, concessionibus, indultis, indulgentijs, peccatorum remissionibus, & gratijs quibusuis Congregationibus dictorum Ordinũ, aliorumq. Ordinum Mendicantium quomodolibet concessas, & concedẽdas, Necnon quibusuis facultatibus, & gratijs suæ professioni Regularis Obseruantiæ non contrarijs, alijs Ordinibus quibuscumq; non Mendicantibus quomodolibet concessis, & concedendis, vti, frui, & gaudere posse, atq. debere in omnibus & per omnia, perinde, ac si eis concessa specialiter fuissent, &c. auctoritate, & tenore præmissis decernimus, ac volumus, & mandamus, &c.

Quod vtique Priuilegium, virtute præfatæ communicationis, ad Eremitas quoque S. Hieronymi præsumitur extensum; Pius enim V. concedit ipsis Eremitis omnia Mendic. Priuilegia; & qui omne dicit nihil excipit, per text. in l. à procuratore, C. Mãd. l. Iulianus, ff. de leg. 3. ac iuxta illud Apostoli ad Hebr. 2. In eo enim quòd omnia subiecit, nihil dimisit non subiectum. Confert deniq; textus in l. Fiscus, in fin. ff. de iure fisci; vbi, quia Augustę Principis Priuilegia fuerunt concessa, l. Princeps, ff. de legib. & Princeps habet Priuilegia Fisci, ita pari ratione, & ipsa Augusta; iuxta communem Iurisconsultorum doctrinam.

Explicit Introductio in Collectanea Priuilegiorum.

Ego

Ego Frater Zeno Capuccinus Bergomensis Guardianus, ac Lector in hoc loco S. Crucis Veronæ, necnon diffinitor huius Prouintiæ S. Antonij; legi hæc scripta, & ea optima agnoui; Optimè enim Auctor intentũ suum probat. Et propterea dignissima existimo, quæ in lucem edantur.

Censura Bern. Brusch. Congr. Lateran. Theologi, Veroneq; Librorum Censoris.

Ex commissione admodum R. P. Inquisitoris Veron. accuratè legi, & Censorio euolui studio Introductionem in Collectanea Priuilegiorum Sacrorum Ordinum Mendicantium, & non Mendicãtium, quæ per viam communicationis, & extensionis Ordini Eremitarum S. Hieronymi, Congreg. B. Petri de Pisis concessa sunt; in qua non solùm omnia veritati consonant; sed etiam Auctoris, insigniter intentum suum probantis, latè elucet conditio, è Canonici iuris fontibus mirificè hausta. In cuius rei veritatem propria manu mea subscripsi.

Ego Bern. Brusch. Librorum censor, & Lateran. Congreg. Theolog.

Requisitus libenter huic Operi, quod in sua materia absolutissimam vidi subscribo Ego Io. Ambros. Falcon. I. V. D. de Collegio Clariss. Aduocatorum, & Iudic. Veronæ.

Cum omnia, quæ supradicta sunt, verissima esse, censeam, ideo libenter subscribo, Ego Vincentius Mapheus I. V. D. de Collegio Clarissimorum Aduocatorum, & Iudicum Veronæ.

Ego Ioan. Franc. Filius D. Sebastiani Lauorij de S. Paulo Veronæ publicus Veneta auctoritate Notarius, attestor subscriptiones antedictas, videlicet primùm Admod. R. P. F. Zenonis Bergomensis Guardiani RR. PP. Capuccinorum huius Ciuitatis Veronæ, secundam Adm. R. P. D. Bernardi Bruschi Canonici Congreg. Lateranen. tertiam Perillustr. & Excellentiss. I. V. D. Domini Ioan. Ambrosij Falconij de Collegio Clariss. DD. Aduoc. & Iud. eiusdem Ciuitatis; quartam verò, & vltimam Perillustris, & Excellentiss. D. Vincentij Maphæi I. V. D. eiusdem Collegij fuisse, & esse eorundem manu propria scriptas, prout ipsi omnes oretenus hodie mihi asseruerunt. In quorum fidem me subscripsi, ac signum mei Tabell. apposui consuetum, die Lunæ 24. Aprilis 1623.

Nos Carolus Contareno pro Sereniss. Duc. Dominio Venetiarum, Veronæ, & Districtus Potestas. Vniuersis, &c. fidem facimus, & attestamur suprascriptum D. Io. Franciscum Lauorium esse Notarium publicum huius Ciuitatis authenticum, & legalem boni nominis, & famæ, cuius scripturis hic plena fides adhibetur, & vbiq; locorum meritò est adhibenda. In quorum, &c.

Veronæ die 25. Aprilis 1623.

Aloysius Cinthius Not. Cancell. P. Mand.

Introductionem in Collectanea Priuilegiorum perlegi quum non vulgari doctrina refertam nihilque Catholicæ fidei, aut Christianis moribus aduersum contineatur, & approbo, & typis committendam iudico.

Dat. Veronæ die 30. Ian. 1627.

F. Franc. Maria Forret. Scot. Franciscanus Conuentualis S. Th. Doct. Conuentus S. Firmi Veronens. Regens.

COL-



COLLECTANEA
Priuilegiorum
SACRORVM ORDINVM
Mendicantium,& non Mendicantium,

Per viam Communicationis, & extensionis.

ORD. EREM. S. HIERONYMI

CONGREG. B. PETRI PISARVM
Concessorum.

F. ANTONIO VIA VERONENSI
Præfati Ordinis Eremita Auctore.



ABSOLVTIO QVOAD FRATRES.

1 INtegrum est Reuerendissimo Nostro Generali, cæterisq; per eum electis, absoluere nostræ Congregationis Fratres à quibuscumque peccatis, siuè prius quam intrauerint Congregationem, siuè post commissis, Necnō ab omnibus cēsuris, & pęnis Ecclesiasticis à iure, vel ab homine generaliter promulgatis. Ita Gregor. XIV.

indulsit Generali Clericorum Ministrantium Infirmis. 1591. 11. Kal. Octob. Constit. illius qui pro Regis hunc in modum.

Pro tempore Præfecto Generali, vt per se, vel per alios à se deputatos omnes, & singulos eiusdem Congregationis, sibi subditos ab omnibus & singulis eorum peccatis, ante, vel post ingressum in dictam Congregationem per eos commissis. Necnon à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; censuris, & pœnis à iure, vel ab homine (non tamen nominatim) quomodolibet latis, &c. absoluere. Necnon cum eis, si opus fuerit, etiam cum rehabilitatione, & abstersione inhabilitatis, ac infamiæ macula dispensare possit. Ac etiam ipsi Præfecto, & Socijs, vel Inferioribus Prælatis, de ipsius tamen Præfecti Generalis licentia, vt cũ eiusdem Congregationis personis defectum natalium, ex quouis nefario coitu prouenientem patientibus, postquam in dicta Congregatione Vota emiserint, dispensare possint, Vt defectu huiusmodi non obstante, ad quoscunque sacros, etiam Presbyteratus ordines promoueri, & in illis ministrare. Necnon ad quascumque dignitates, administrationes, & officia dictæ Congregationis eligi, & assumi, illaq; gerere, & exercere valeant prout videre est apud Hieronymum à Sorbo in Compen. Priuilegiorum, V. Absolutio Ordin. quoad Fratres.

2 Præterea nostræ Congregationis Priores; & qui loco eorum in ipsorum absentia constituuntur. omnesq; Sacerdotes electi ad excipiendas nostrorum Fratrum confessiones gaudent priuilegio absoluendi præfatos Fratres ab omnibus culpis, & Censuris Romano Pontifici reseruatis. Id quod concessum fuit à Paulo III. Societati Iesu, vt habetur in compendio Clericorum Regularium, hoc eod. tit. §. 1. & ab Eug. IV. Monachis S. Benedicti Vallisoleti. Cuius concessionis meminit Rodericus in sua collect. Priuilegiorum, consti. 1. *Beatissime Pater*, vbi ita legitur.

Supplicatur humiliter S. V. pro parte Prioris, & Conuentus dicti Monasterij S. Benedicti, quatenus, &c. Superioribus quibuscunque nominibus appellentur, pro tempore, præsentibus, & futuris concedere dignemini, vt ipsi per se, & præsbyteri Monachi per quemuis eorum pro audiendis Confessionibus pro tempore deputandi, & ad nutum reuocandi, omnes & singulos nunc existentes, & qui pro tempore fuerint singulorum Monasteriorum prædictorum, Monachos, professos, conuersos, fratres, & quoscunque religiosos, perpetuoq; donatos, & oblatos, ac sub pœna reincidentiæ, nouitios si forsan professionem non emittant, ab omnibus, & singulis suis peccatis &c. ante vel post ingressum religionis, in quibuscũq; casi-

casibus, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, commissis. Necnon à quibuscumq; excommunicationum, suspensionum, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pęnis à iure, vel ab homine, Sedis Apostolicæ, vel alia quauis auctoritate, aut per Prouincialium, Synodalium, aut Generalium, Conciliorum constitutiones, &c. promulgatis si quas ante, vel post ingressum religionis incurrerint, etiam si propter ea ad Sedem Apostolicam specialis habendus foret recursus, absoluere, &c.

3 Licet quoq; Prælatis nostræ Congregationis per se ipsos absoluere sibi subditos, & cum eis in interiori animæ Iudicio dispensare possint. ex indulto Pij V. in Breui quodam, dato ad petitionē Prouincialis Prouinciæ Hispaniæ Ord. Præd. Die 21. Iulij 1571. a Rod. in collect. in hæc verba relato, *Romani Pontificis*, & infra, *Et insuper, quia sacrum œcumenicum, Concil. generale Tridentinum concessit Episcopis, vt absoluere possint in foro animæ, seù conscientiæ, ab omnibus peccatis, & dispensare in irregularitatibus, prout sess. 24. cap. 6. habetur. Ne Prior Conuentualis, & Superiores Prælati dicti totius Ordinis, tam in dicta Prouincia, quàm extra eam vbilibet in hac parte deterioris conditionis, quàm Clerici, aut sæculares existant. Eisdem Priori Conuentuali, & Superioribus Prælatis, vt ipsi per se ipsos idem omnino possint in Fratres, & Moniales, dicti Ordinis sibi subditos; Quod possunt Episcopi in Clericos, & Laicos sibi subiectos, tàm quoad absoluendi, & dispensandi huiusmodi, quam alias quascumq; facultates eisdem auctoritate, & tenore, etiam perpetuò concedimus, & indulgemus, ac etiam declaramus, &c.* Vide Suarez Tom. 4. in 3. p. D. Thom. disp. 30. sect. 2. nu. 7. Nauar. cons. 23. de Priuil. impressionis Venetæ apud Ioan. Guerilium 1600. Beiam, p. 4. casu 37. & infra V. Prior nu. 1. Animad.

ANIMADVERSIO.

INprimis lectorem scire volumus, concessionem proximè dictam, à Gregor. XIII. reuocatam non fuisse; immo ab ipso post modum ann. 1574. pro Congregatione S. Bernardi confirmatam, & innouatam; testatur Hieronymus à Sorbo in suis Annot. Tit. Absolutio quoad sæculares secundo, in resolutione Materiarum Absolutionū. Vers. *liceat Episcopis*, pag. mihi 45. & Tit. Dispensatio. vers. *possunt per communicationem.* Ac denique Greg. XIV. Clericis ministrantibus Infirmis idem concessit. Vide supra, num. 1. Vide infra. V. Prior in Animad. post. nu. 1. in fin.

Neque vigore præfatorum Priuilegiorum, Prælatos, siuè Confessarios nostros aliquid posse in Casus Bullæ Cęnæ Domini clarè, vel dubiè contentos, per quam Romanus Pontifex derogare solet, quibuscumq; Priuilegijs generalibus, vel specialibus cuiuscumq; Ordinis; sub quauis forma, & tenore, ac cum quibusuis clausulis, etiam derogatoriarum derogatorijs concessis. Vide infra V. Absolutio quoad sæculares, in Animad. post nu. 3. & V. Prior in Animad. post num. 1. in fine.

Neque in casus per Superiores nostros reseruatos, iuxta Decretū Clem. VIII. de Casuum reseruatione quoad Regulares, inferius. V. Casus reseruati, relatum.

Neque eiusmodi Priuilegia censeri reuocata per Decretū S. Congregationis super Absolutione à casibus reseruatis, die 9. Ian. 1601. per declarationem illius die 26. Nouembr. 1602. Id quod depręhendi facilè potest ex eiusdem S. Cōgregationis declaratione facta Generali Clericorum Regularium. Cui responsum fuit, talia Decreta nō infringere Priuilegia quoad Absolutiones regularium, sed sæculariū tantummodo. Quemadmodum apertè fatetur Auctor Comp. Cler. Regul. tit. Absolutio quoad Fratres in Scholio. Vide Molfes. 1. p. suæ Sum. tract. 7. c. 19. nu. 29.

4 Permissum est nostræ Congregationis Fratribus de licentia Superiorum à Monasterio absentibus, eligere sibi ad libitum Confessarium regularem, seù sæcularem; idq; virtute Priuilegij Sixti IV. Minoribus, die 2. Augusti 1479. concessi incipi. *Supplicari nobis fecistis*, infraq;, *Nos, vt cum maiori animi quiete, & Conscientiæ, pace, fratres vobis subditi, Altissimo famulari possint, huiusmodi supplicationibus inclinati, vt Fratres vestri, vel aliorum Prælatorum, & suorum, qui pro tempore erunt, licentia, solummodo tamen cum itinerauerint, vel fuerint extra Conuentus eorum, prout eis concedetis, confiteri possint, & Vos quomodocumque Sacerdotibus cuiuscumq; sæcularis seù regularis Ordinis, confiteri valeatis, tenore præsentium Auctoritate Apostolica, concedimus, & indulgemus*, prout videre est apud Rod. in Collect.

Eandem facultatem dedit eisdem Minoribus Leo X. Viuæ vocis oraculo facto Christophoro Cardinali S. Mariæ in Aracęli, prout ipse testatur, die 28. Aprilis 1519. vt in ead. Collect. Oraculorum Viuæ vocis ipsius Leonis, nu. 76. in hæc verba; *Quod Prædicatores, & alij Fratres, quando sunt extra Conuentum, & non possunt habere copiam Sacerdotis sui Ordinis, quia non habent Socium confessorē, possint*

confi-

confiteri peccata sua alteri Religioso alterius Ordinis, vel præsbytero sæculari, & hoc sine fraude, dummodo dicant Prælato suo. Vide etiam Comp. Min. V. Absolutio Ordin. quoad Fratres, nu. 23.

Idem Ordini Prædicatorum concessit Pius V. ex traditione Henriquez lib. 7. de Indul. cap. 22. nu. 2. in tex. & glos.

Potiunturq; quibuscumq; gratijs, perinde, ac si intra Monasteriũ viuerent. ex dispositione Martini V. Ordini S. Patris Hieronymi Hispaniarum, Vt videre est apud Comp. Cler. Regularium.

ANIMADVERSIO.

COmperti iuris est, facultatem eligendi confessarium vnico actu non finiri, sed qui illam habet, posse suo arbitrio eligere plures confessarios, vel sæpe eundem. prout scriptum reliquit Suar. tom. 4. in 3. par. D. Thom. d. 27. sect. 2. nu. 11. Paludano, D. Anton. Nauarroq; recensitis.

Cur confessarij per talia priuilegia electi debeant esse approbati ab Ordinario, vt quibusdam videtur, me latet omnino. Siquidem Sacerdos auditurus confessiones Regularium nõ indiget tali approbatione; ex doctrina Suarez. to. 4. d. 28. sect. 4. num. 4. Nauarri in Manua. c. 4. nu. 7. Sà. V. Confessor. nu. 6. Viualdiq; tract. de Confess. nu. 28. concl. 5. & regularem per facultatem eligendi Confessarium, posse eligere non approbatum; Ex vi. Concil. Trid. optimè deducit Suarez. ibidem.

Si quis autem scire cupiat, An Fratres absentes à Monasterio de licentia Superiorum, possint à Casibus reseruatis absolui, prout poterant in Monasterio? Respondemus, si aliqua excommunicatione reseruata detineantur, nullatenus consequi poterunt beneficium absolutionis, Ex communi DD. traditione. Si verò ab huiusmodi excommunicatione sunt immunes, vrgente rationabili causa, probabile est, tales Fratres absolui posse. Idq; secundum Doctissimorum Auctorum sententiam, qui docent, Inferiorem Sacerdotem, qui caret facultate absoluendi à reseruatis, rationabili causa concurrente, audita omnium peccatorum confessione, absoluere posse pęnitentem à nõ reseruatis, ipsumq; pro reseruatis ad Superiorem reijcere. Quare hac ratione, directè à non reseruatis, indirectè verò, atq; consecutiuè à reseruatis absoluet. Quæ tamen debebit pęnitens quamprimum poterit, iterum Superiori confiteri, vt ab illis directè absoluatur. Hácq; do-

doctrinã propugnant hi omnes; Greg. de Valent. to. 4. d. 7. quæst. 11. vers. sextus Casus est pun. 1. Tol. lib. 3. c. 8. nu. 3. Comit. Resp. moral. lib. 1. quæst. 29. præter alios ab eodem relatos. Quorum quidem opinionem, quilibet, tuta conscientia sequi potest, cùm probabilitate nõ careat; Et opinio DD. probabilis efficit, vt Ecclesia det Iurisdictionẽ, etiamsi fortè opinio illa sit falsa. Less. lib. 2. c. 29. dub. 8. nu. 68. Sanchez lib. 3. de Matr. d. 20. nu. 4. & d. 22. q. 7. nu. vlt.

5 Nullus cuiuscunque religionis, Sacerdos, aut præsbyter sæcularis, excipere potest confessiones nostrorum fratrum, tametsi ex generali facultate sibi concessa, valeat omnium Confessiones audire. Idq; ex Indulto Innoc. IV. Fratribus Prædicatoribus: *Cum superna lucis. 7. Kal. Apr. Pont. sui anno* 4. illis verbis. *Nolumus, quod illi Fratres, quibus per nostras concessimus litteras, seu quibus duxerimus commendandum, vt confessiones generaliter audiant, &c. aliquam super Fratres vestra gubernationi creditos, ex concessione huiusmodi habeant potestatem*; apud Rodr. in collect. priuil. Et Alexand. IV. Cisterciensibus; *Præcedere Religionis* 17. *Kal. Apr. Primo sui Pont. Anno,* Verbis illis, *Cum igitur fel. record. Iulius Papa Prædecessor noster, Vt in Ordine vestro sublata materia scandali, Religionis conformitas, & Vita vnitas in Charitatis integritate seruentur; Vobis, suis litteris concessisse dicatur, vt iusta eiusdem Ordinis statuta nulli Fratrum ipsius Ordinis, seu alij eiusdem Ordinis persona absq; sui Abbatis licentia, liceat cuipiã alterius religionis, vel sęculari prręsbytero confiteri, nec ei confessiones earum audire, vel ei absolutionis beneficium impartiri, Vestris deuotis supplicationibus inclinati, quod super hoc, est Vobis à dicto Prædecessore concessum, gratum habentes, & ratum, id auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, &c.* apud eundem Roder.

Nefas est nostri Ordinis Fratribus virtute Priuilegij siue Bullæ Cruciatæ percipere absolutionem peccatorum, tàm reseruatorum, quàm non reseruatorum, ab alijs, quàm à proprijs Prælatis, aut à Cõfessarijs per eosdem deputatis, prout declarauit Pius V. quoad Prædicatores, in Constitutione. *Romani Pontificis*, superius relata: num. 3. Et Clemens VIII. quoad Carmelitas, cæterosq; Regulares Constit. *Romani Pont. circumspecta benignitas* 23. *Nouembr.* 1599. apud Rod. in Collect. Bulla 9.

Quisquis autem aliquod Priuilegium in contrarium impetraret, nullum esset priuilegium, ipseq; omni gradu, si quo gaudeat in Religione,

gione, priuatus erit. iuxta Conceſſionem Clemen. VII. Congreg. S. Georgij in Alga, recenſitum in Comp. Priuilegiorum Cleric. Regularium, p. 1. eod. tit. §. 3.

ANIMADVERSIO.

CVm verò, ex iure Eccleſiaſtico, Prælati Regulares vbicumq; reperiantur tàm intra, quàm extra propria Monaſteria, etiam in loco alienæ iuriſdictionis, ius habeant eligendi ſibi Confeſſarium nō approbatum, cap. Ne pro dilatione, de pęn. & remiſſ. Sylu. V. Confeſſor. 1. nu. 8. & Corriolanus de Caſibus reſeruatis quoad regulares. p. 1. ſect. 1. art. 24. Certum eſt, quæ præcitatis num. dicta ſunt nullum habere locum in Prælatis noſtræ Congregationis, ſed tantum in ſubditis, qui tamen nulla alia ſuffulti auctoritate confiteri poterunt Pęnitentiarijs Romani Pontificis plenam habentibus facultatem excipiendi Confeſſiones quorumcunque, etiam regularium ad ſe confugentium; ad notata per Coriolanum, l. c. ſect. 3. art. 12. Necnon in articulo mortis Cuicumque Sacerdoti ſine obligatione confitendi iterū reſeruata ſuis Superioribus, eodem Coriolano l. c. auctore. Fauetque Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. videaturque Comit. Reſp. Moral. lib. 1. q. 22. nu. 2.

Quo loco in præteritis minimè relinquemus, Controuerſum eſſe apud Theologos, quo iure quilibet Sacerdos habeat talem abſoluendi facultatem in mortis articulo? Diuino iure eam habere docuerunt. Palud. in 4. d. 20. q. 1. art. 2. concl. 1. Capreolus, d. 19. q. 1. art. 3. ad 4. argumentum contra 3. concl. Melchior Canus Relect. de pęnit. p. 5. fol. 57. impreſſionis Mediol. Ruard. Taper. art. 3. de confeſſ. col. 13. Diuino iure, & perpetua Eccleſiæ lege ait Comit. lib. 5. quæſt. 14. & lib. 6. q. 27. Sed humani tantum id iuris eſſe tradunt Sotus in 4. d. 18. quæſt. & art. 4 Didacus Nugnus in Addit. ad 3. p. D. Thom. q. 8. art. 4. dub. 1. verſ. Difficultas verò eſt. Franciſcus Victoria de Sacramentis, num. 157. Valent. tom. 4 q. 10. diſp. 7. pun. 2. colum. 8. verſ. Neque verò habet. Suar. tom. 4. diſp. 26. ſect. 4. nu. 7. vbi, & alij.

An autem virtute Iubilei pleniſſimi, valeant Congregationis noſtrę Fratres extra proprium Ordinem Confiteri, dubitare quis poſſet? Verùm ſi in aſſerto Iubileo detur ſpecialis facultas regularibus eligē di ſibi Confeſſarium, nedum intrà, ſed etiam extra ſuum ordinem, quemadmodum à Clemen. VIII. Paulo V. & Gregor. XV. in ſuis Iubileis

bilęis indultum fuit; exploratis iuris est, posse nostros Fratres confiteri extrà ordinem, & iuxta tenorem Bullæ, à peccatis absolui, nō obstantibus. prænarratis Pij V. & Clemen. VIII. dispositionibus; cùm præcedentia recipiant interpretationem, & restrictionem à sequentibus, l. si cum fundum, ibique Glossa, ff. de verbor. signif. Id quod à Gregor. XIII. die 19. Decembris 1581. declaratum fuisse, recenset Coriolanus l, c. art. 13. post Rodericum in Collect. priuil. in fine Bullarum ipsius Greg. XIII. Vide Nauarr. de priuil. conf. 13. Filliucium p. 1. Tract. 8. c. 10. &c.

ABSOLVTIO QVOAD SÆCVLARES.

1 RELigionis nostræ Confessarij gaudent facultate absoluendi quoslibet Christianos à peccatis omnibus, etiam Romano Pontifici reseruatis, & à quibuslibet Censuris, sentētijs, ac pęnis Ecclesiasticis inde resultātibus, casibus exceptis, qui in Bulla Cęnę Domini continentur; Idque vigore indulti Pauli III. Soc. Iesu. 3. Iunij 1545. *Cùm inter cunctas*, & infra, *Vobis, & cuilibet vestrum, qui ad hoc idoneus repertus, & Vestræ Societatis Præpositum pro tempore existentem deputatum fuerit in quibuscunque Ecclesijs, & locis, ac Plateis communibus seù publicis, & aliàs vbiq; locorum, Clero, & populo Verbum Dei prædicandi, ac eos viam veritatis edocendi, & ad benè, beateq; viuendū. ita vt in Vobis, Verbo pariter, & exemplo ædificentur in Domino hortandi, admonendi. Nec non illis ex vobis, qui præsbyteri fuerint, quorumcunque vtriusq; sexus Christi fidelium ad Vos vndiq; accedentium confessionibus diligenter auditis, ipsos & eorum singulos ab omnibus, & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcunque grauibus, & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, & à quibusuis ex ipsis casibus resultantibus, sententijs, censuris, & pęnis Ecclesiasticis (exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cenæ Domini solita est legi) absoluendi, atq; eis pro commissis pęnitentiam salutarem iniungēdi. Necnon Vota quæcumq; per eos pro tempore emissa (vltramarinis, Visitationis liminum Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum de Vrbe, ac S. Iacobi in Compostella, necnon Religionis, & Castitatis Votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi, &c.* apud Rod. in Collect.

ANIMADVERSIO.

BVlla hæc doctissimis obseruationibus Illustratur à Suarez tom. 4.de Relig. Tract. 10.lib.9.c.1.& 2.

Per Priuilegium quoque Sixti V.concessum Congregationi Oratorij S.Mariæ de Vallicella de Vrbe,ius habemus absoluendi non tātum à Casibus,& Censuris pręfato modo Pontifici reseruatis,sed et ā imposterū reseruandis;ijs exceptis,quæ in Bulla Cęnæ Domini continebuntur, Quod sanè elici potest ex Bulla, *Decet. Romanum Pont. Nonis Sept.* 1586. à Quaranta recensita, V. Confessor.

De licentia tamen Prioris Generalis,liceret Fratribus nostris in terris Infidelium,hæreticorum,schismaticorum à quibus non datur aditus ad Sedem Apostolicam, absoluere etiam à Casibus Bullæ Cęnæ Domini Idipsum concedente Paulo III. Societ. Iesu 15.Kal.Nouembris 1549.in Bulla,*licet debitum pastoralis,* infraq; *Ac Pręposito Generali,&c.* & vt *cum aliquos ex Fratribus,seu socijs Societatis huiusmodi Saracenorum,& paganorum, aliorumq; Infidelium terras, & Prouincias,aliàs remotissimos,à quibus nōn potest adiri Sedes Apostolica, miserit,possit eis auctoritate nostra facultatem concedere, Vt Christianos ibidem commorantes,confessione suorum peccatorum audita, & pęnitentia salutari iniuncta,eos,& eorum quemlibet ab omnibus, & singulis eorum peccatis etiam in Bulla Cęnæ Domini reseruatis, & à consequentibus censuris,& pęnis absoluere,& cum ijs qui ab Infidelitate cōuertentur tantum, & in locis remotissimis, qui prius in gradibus non licitis,tamen lege Diuina non prohibitis,Matrimonia contraxerunt,vt in eisdem manere possint,dispensare,&c.* apud Rodericum in Collect.

ANIMADVERSIO.

PLurimum sanè refert,vigore horum Priuilegiorum absolui, siquidem sic absolutus, & si non moriatur minimè tenetur se præsentare Superiori; prout tenētur illi,qui ex facultate tantū Concil.Trid. sess.14.c.7.in artic. mortis, absoluuntur à Simplici Sacerdote à Casibus,& Censuris reseruatis. Vide Suar. tom. 4. de Relig. tract.8.lib.2. cap.19.num.15.

Porrò præfata priuilegia absoluendi, reuocata sunt quoad casus in Bulla Cęnæ Domini; Ac prætereà, Violationis immunitatis Ecclesia-

sticæ,

ſticæ, in terminis Conſt. Greg. XIV. *Cùm alias nonnulli.* Violationis Clauſuræ Monialium ad malum finem. Prouocantium, & pugnantium in Duello, iuxta Decretum Concil. Trident. & Conſtitutionis Greg. XIII. *Ad tollendum.* Inijcientium manus violẽtas in Clericos, iuxta Cap. ſi quis ſuadente 17.q.4. ac iuris diſpoſitionem. Symoniæ realis ſcienter contractæ; Et Confidentiæ beneficialis. Item quoad Caſus; quos ordinarij locorum ſibi reſeruant; Quemadmodum videre eſt in Decreto S. Congreg. 9. Ianuar. 1601. Et illius declaratione 26. Nouembr. 1602. Quæ de mandato ſpeciali Clement. VIII. ſancita ſunt pro omnibus Confeſſarijs, tàm ſæcularibus, quàm regularibus per Vniuerſam Italiam extra Vrbem.

Quæ omnia confirmata, & innouata fuerunt à Paulo V. in hæc verba.

Quoniam Sacra Congregatio Cardinalium negotijs Epiſcoporum, ac Regularium Præpoſita nuper accepit quamplures Regulares tantum facultatis, ſeu priuilegij ab Apoſtolica Sede ſibi conceſſam profiteri, vt etiã caſibus locorum ordinarijs in eorum Diœceſibus reſeruatis, abſq; alia ipſorum Ordinariorum licentia, pœnitentes abſoluere minimè dubitent, nonnulloſq; alios in decreto prohibitionis, abſolutionis à caſibus Sedi Apoſtolicæ, vel locorum Ordinarijs reſeruatis die 9. Ianuarij 1601. fęl. record. Clementis Papæ VIII. iuſſu edito, necnon in declaratione illius, eodem Clemente Pontifice iubente, die 26. Nouembr. 1602. promulgata excommunicationes Sedi, vel Ordinarijs prædictis reſeruatas, minimè compræhenſas aſſerere; Vnde fit, vt metus quo homines à peccando coercentur, abſolutionis facilitate exoleſcat. Ideo ſacra eadem Congregatio, de Santiſsimi D. N. Pauli Papæ V. ſpeciali mandato, viuæ vocis oraculo deſuper habito, Decretum huiuſmodi, illiuſq; declarationem, necnon Cenſuras, & pęnas, in eiſq; contenta omnia confirmanda, atq; innouanda operæpretium duxit, prout per præſentes confirmat, atq; innouat ab Omnibuſq; Sacerdotibus, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus quorũuis ordinum etiam Mendicantium, Militiarum, Congregationum, aut cuiuſuis alterius inſtituti, etiam neceſſario exprimendi, quouis nomine nuncupetur inuiolabiliter obſeruari, ac inſuper, vt nulli ex Sacerdotibus prædictis quibuſcumq; priuilegijs, indultis, & facultatibus ſuffulti, ab excommunicationibus, vel à caſibus eiſdem Ordinarijs, vel Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, tam ad forum contentioſum, eorumdem Ordinariorum deductis, quam non deductis, præterquam in mortis articulo abſoluere audeant, vel præſumant, vel eorum aliquis audeat, vel præſumat

mat sub eisdem Censuris, & pœnis eo ipso, & absq. alia declaratione incurrendis, mandat, ac pracipit. Non obstantibus omnibus, quæ idem Clemens VIII. in decreto, & declaratione huiusmodi voluit non obstare. Datum Romæ 7. Ianuarij Ann. 1617.

Anton. Card. Saulius.

V. Theatinus Secr.

2 Vigore concessionis Pauli V. factæ Congregationi Oratorij Sãctæ Mariæ de Vallicella de Vrbe. 9. Aprilis 1608. de qua habetur mentio in Compend. Priuil. Cler. Regul. p. 1. eod. tit. & §. licet nostris Confessarijs absoluere pœnitentes pugnantes in Duello prohibito à Clement. VIII. modo non inciderint in Const. Gregor. XIII. & Concil. Trident. Idem docent Peregrinus in Tract. de Duello, q. 37. nu. 13. & Bonac. de Censuris, disp. 2. quæst. 6. pun. 2. nu. 16. in fin.

Eodem modo absoluere possunt à peccato, censuris, & pœnis propter abortum incursis; Non obst. Sixti V. Const. per Gregor. XIV. moderata.

3 Per Priuilegium Martini V. Ordini S. P. N. Hieronymi Hispaniarum concessum prout habetur in illius Compend. V. Absolutio quoad omnes §. 3. & in Compen. Cler. Regularium, p. 2. gaudent nostri Confessarij facultate absoluendi Sæculares à quauis excommunicatione Suspensione, & Interdicto, à quibus Ius habet Episcopi absoluendi suos diœcesanos; Nec non cum illis dispensandi super Irregularitatibus occasione prædictarum censurarum, Diuina celebrando contractis.

ANIMADVERSIO.

SVpradictum Priuilegium nobis cæterisq; Regularibus innouatũ, & de nouo concessum à successoribus Põtificibus Priuilegia nostra confirmantibus, locum habet in foro conscientiæ tantum: Intelligiturq; de illis censuris à quibus Iure Communi Episcopi absoluere possunt.

Primò, ab excommunicatione à Iure lata, & nemini reseruata Auila de Cens. 2. p. cap. 7. d. 1. dub. 4. ex cap Nuper, vers. in secundo vero casu, de sentent. excomm. & DD. passim à Sayro relati lib. 2. de Cens. cap. 19. nu. 2. & 3.

Se-

Secundò, ab excommunicatione ab homine etiam à Papa lata, quādo vniuerſaliter fertur. Auila, l.c.dub.8. Sayr.l.c.nu.5.& *alijs citatis.*

Tertiò, abſoluit Epiſcopus à ſe, vel à Prædeceſſoribus excommunicatum, tàm per legem, quàm per ſtatutum. Sayr.l.c.nu. *6.*

Quartò, abſoluit communicantes ſcienter in Crimine, cum nominatim excommunicatis per Epiſcopum, eiſque fauorem, auxilium, & conſilium præſtantes; Quoties non patet facilis aditus ad excommunicantem, adhibita tamen cautione de parendo præcepto excommunicantis, quamuis non ſit illorum Prælatus. Panorm. ex d. cap. nuper num. 1.

Quintò, poteſt abſoluere ab excōmunicatione propter Clerici percuſſionem contracta, quādo percuſſio eſt leuis arbitrio ipſius Epiſcopi cap. peruenit de ſentent. excomm. Tol. lib. 1. c. 32. nu. 2.

Sextò, abſoluit impuberes non ſolum propter excommunicationē leuis, ſed etiam mediocris, & enormis percuſſionis tempore impubertatis factæ, licet petant abſolutionem, poſtquam facti ſunt puberes, cap. vlt. de ſentent. excom. Tol. l. c.

Septimò, Mulieres cuiuſcumque ſint Ætatis, & conditionis; ac omnes perſonas in alterius poteſtate exiſtentes, ſi huiuſmodi cenſuram percuſſionis contraxerint, cap. Mulieres eod. tit. Tol. l. c.

Octauò, illos etiam, qui impotentes ſunt ad iter conficiēdum; quales ſunt, qui capitales habent inimicitias Senes, Cæci, vel Pauperes, qui Romam adire nequeunt: Priores tamen Iuramentum præſtare tenentur de ſe opportune præſentando Apoſtolicę Sedi. cap. de cętero, cap. Quod de his, & cap. Quamuis eodem tit. Tol. l. c. nu. 3. 5. *6.*

Nonò, Prætoris, ſeu Principis ſeruitorem ſi ad iracundiam per Clericum prouocatus ratione Officij illum haud grauiter leſerit, Si cap. verò el 1. eodem tit. vide Tolet. loc. cit. & Auilam loc. cit. dub. *6.* §. Nonnulli.

Decimò, quando imminet periculum mortis, adhibito Iuramento adeundi Papam; ſi ſuperuixerint, cap. ea noſcitur, & cap. Quod de his eod. tit.

Vndecimò, ad cautelam, ne ſcilicet fideles vlterius abſtineant ſe à Communione illius, qui laborat infamia percuſſi Clerici, cap. cum deſideres, eod. tit.

Duodecimò, Chriſtianum famulum Clericum doloſe percutiētem non tamen enormiter, vt a Domini ſeruitio ſe ſubtraheret. Idemque ſi Dominus ex famuli abſentia graue damnum abſque culpa pati deberet,

beret, cap. Relatum eod. tit. Auila l.c. Tertia Concl. Tol. l.c.

Tertiodecimò, absoluit eps̄ in suspensione à Iure simpliciter inflicta, reseruatione ommissa. Auila eo. tit. 3. 1. dist. 6. dub. 1. Suar. eo. tit. d. 29. sect. 1. à nu. 19. ad finem. Sayr. eod. tit. lib. 4. cap. 17. à num. 12. ad 19.

Quartodecimò, etiam ab interdicto simili modo posito, propter identitatem rationis, Auila ex Sot. eod. tit. 5. p. dist. 6. dub. 1. concl. 4.

Regulares itaque Confessarij per Ordinarium approbati vigore suorum Priuilegiorum absoluere valent à Casibus, Censuris, & Pœnis extra Cænę Bullā Sedi Apostolicę reseruatis, nec in decreto Sacr. Congr. die 26. Nouembr. 1602. compręhensis. ex Constit. Pauli III. supra relata.

Excipiuntur etiam casus, quos Ordinarij sibi reseruari placent, à quibus Confessarij Regulares absoluere prohibentur, vt dictum est; Ex litteris eiusdem Sacr. Congr. ad Cardin. Archiepiscopum Neap. missis, Vers. *Præcipuè verò, &c.* Quas refert Quar. V. Casus reseruati, &c.

4 Nō obstante Decreto S. Congregationis sub Clem. VIII. die 9. Ian. 1601. prohibente absolutionem à Casibus reseruatis, auctoritatē habent nostri Confessarij, (ab Episcopo approbati) absoluendi laicos famulos in eorum Monasterijs existentes à Casibus Episcopis reseruatis, ac reseruandis. Tale enim priuilegium elargitus est Carthusiensibus Clemens VIII. 26. Martij 1602. Vide Compend. Cleric. Regu. eod. tit. & §.

6 Quicumque ex Sacerdotibus nostræ Congr. ad Confessiones audiendas ab Ordinario approbatus fuerit, facta vna approbatione non erit iterum præsentandus, & approbandus, si, & ad alia loca, causa ibi ad tempus commorandi se conferat, iterumque ad priorem diœcesim reuertatur; modò approbatio non sit ad tempus limitatum, & iam nō sit expiratum. Vel in huiusmodi facultatibus ea clausula extet; Vt si aliò migrauerint ad habitandum & postea priorem diœcesim repetant, licentiæ nullæ sint. Ex sacra Congregatione vt infra vide Suar. l.c. nu. 9.

7 Congregationis nostræ Confessarij pro audiendis confessionibus in aliqua Vrbe approbati, possunt defuncto Epscopo, cōcessa sibi facultate vti vsq; ad electionem noui Episcopi Clement. IV. Ordini Prædic. apud Confett. Const. *Exigentibus, 17. Kal. Iul. Anno 1. sui Pont.* vbi hæc habentur.

Ex parte siquidem vestra, fuit propositum coràm nobis, quod licet nobis à nonnullis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs Ecclesiarũ Prælatis, audiendi confessiones subditorum suorum, necnon prædicandi, & aliqua vota in alia pietatis opera commutandi, in suis Ciuitatibus, & diœcesibus licentia sit concessa; quia tamen ipsis Prælatis decedentibus, vti licentia huiusmodi Ecclesijs sic vacantibus dubitatis, nobis humiliter supplicastis, vt prouidere vobis super hoc paterna diligentia curaremus. Vestris igitur supplicationibus inclinati, præsentium Vobis auctoritate concedimus, vt in huiusmodi casu possitis vti tàm diù liberè prædicta licentia, donec viduatis Ecclesijs, prouisum fuerit de Pastore, &c.

ANIMADVERSIO.

PRaxis verò videtur esse, facultatem audiendi Confessiones, vsq; ad expressam reuocationem per Editum noui Episcopi durare.

7 Nunc etiam adest decretum S. Congreg. Concil. Trid. prohibentis, regulares ad audiendas sæcularium Cõfessiones, ab Episcopo prę-uio examine approbatos iterum ab eodem Episcopo examinari; poterunt tamen examinari à successore. Vide Quaranta V. Confessor.

7 Scire conuenit, Episcopum, si præuio examine regularem idoneũ inuenerit, illum simpliciter absq; vlla temporis, loci, seu personarum limitatione, indistinctè approbare, atq; admittere teneri; ex Decreto Sanctæ Congregationis regularium, negotijs præfectæ, 2. Iulij 1587. in hæc verba à Confettio, fol. mihi 418. relato.

7 *Regulares, qui ad Confessiones audiendas idonei generaliter ab Ordinarijs, eorumve examinatoribus reperti, & probati fuerint: generaliter quoque, & indistinctè absq; aliqua limitatione temporis, certorumvè locorum, aut generis personarum admittantur in diœcesi propria. De cæteris verò, qui non adeò idonei reperientur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinquitur ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinarijs magis expedire videbitur probare, & admittere: qui autem in Domibus laicorum, confessiones ex casu audierint, statim Parochum admonere teneantur, & fidem auditæ confessionis pro medico aduenientæ relinquere.*

Fr. Michael Bonellus Card. Alexand.

Gregor. Paltarius Secret.

ANI-

ANIMADVERSIO.

PRocedit S. Congregationis decretum, quoties regularis Confeſſarius ſine vlla limitatione temporis, loci, perſonarumvè, ſed indifferenter, & abſolutè admittitur, approbaturque. Item ſi nulla adhibita limitatione, admittatur ad beneplacitum; perinde enim eſt, ac ſi ſimpliciter, & abſolutè admitteretur, & approbaretur, durante beneplacito ad obitum vſque concedentis, niſi reuocetur; ex capite ſi gratioſè de reſcriptis, in 6. Sanchez de matr. lib. 8. d. 28. nu. 49.

Addimus inſuper ſecundum Suar. Tom. 4. d. 28. ſect. 8. Aſſertione 3. num. 7. Epiſcopum non poſſe ſine iuſta cauſa præfatã approbationem, regularibus ſemel datam reuocare; idque iuxta cap. Accepimus, de ætate, & qualit. & ord. præf. Ex quo habetur eum, qui ſemel tanquam idoneus approbatus eſt, non eſſe tanquam indignum reijciendum, niſi recens conſtiterit factum eſſe indignum. Accedit etiã, hanc approbationem non eſſe aliquam gratiam, & fauorem; ſed iuridicam quandam declarationem, quæ ſe habet tanquam iuſta Sententia ex Iuſtitia debita; ex eodem Suarez. Non poterit igitur abſq; cauſa iuſtè reuocari.

His etiam non obſtantibus, conſulatur S. Congregationis decretũ, quo locorum ordinarijs regulares à confeſſionibus audiendis ſuſpendendi ratio præſcribitur, eius qui ſequitur tenoris.

Cùm Sacræ Congregationi Cardinalium negotijs Epiſcoporum, & regularium Præpoſitorum innotuerit, Confeſſarios regulares grauiter cõqueri, quod ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, & locorum Ordinarijs ab audiẽdis Confeſſionibus quauis de cauſa indiſcriminatim ſuſpendantur; Et propterea ſæpè contingere, vt ab eiſdem Archiepiſcopis, Epiſcopis, & locorum Ordinarijs omnibus ſimul vnius Conuentus Confeſſarijs Confeſſiones audiendi facultas adimatur; Illuſtriſsimi eiuſdem Sacræ Congregationis Patres, rati vix fieri poſſe, vt hæc ſine ſcandalo, magnaque animarum pernicie contingant, re maturę perpenſa, ad omnem ſcãdali materiam ſummouendam, & quo magis ſpirituali piarum mentium conſolationi conſulatur, ſtatuunt, ac decernunt, Archiepiſcopis Epiſcopis, alijſque locorum Ordinarijs, ad quos Confeſſarios approbandi ius ſpectat, Confeſſarios Regulares, aliàs ab ipſis liberè approbatos, ab audiẽdis confeſſionibus ſuſpendere, poſt hac minimè licere, niſi ex noua cauſa, eaq; ad confeſsiones ipſas pertinente, aut ob non ſeruatum interdictum ab

ipsis Ordinarijs positum. Statuunt insuper eosdem Archiepiscopos, Episcopos, locorumq; ordinarios Confessiones audiēdi facultatem omnibus simul vnius Conuentus Regularibus Confessarijs eadem Sacra Congregatione inconsulta nullo pacto adimere posse. Quod quidem Decretum, vt ijdem Illustrissimi Patres opportunum, & necessarium duxerunt, Ita inuiolabiliter iubent obseruari.

Romæ 20. *Nouembr.* 1615.

A. Mar. Episc. Ostien. Card. Gallus.

V. Theatin. Secret.

7 Sacerdotes nostri in Confessarios electi, iure communi, auctoritatem habent, audiendi Cōfessiones subditorum diœcesis in qua sunt approbati extra eamdem Diœcesim; sicut idem valent facere Parochi eod. iure. Plerique Doctores docent: propterea quod, iurisdictio volūtariè delegata extra Terretorium delegantis exerceri potest; Nulla enim hinc resultat iniuria Iudici alieni Terretorij, siquidem, sine strepitu, Iuditijq; figura exerceri solet.

ANIMADVERSIO.

QVa de re, videantur Suarez, l. c. sect. 6. num. 4. Reginaldus lib. 1. cap. 8. sexto dubio, nu. 93. & Sanchez de Matr. lib. 3. disp. 34. sub num. 2. Qui præsentem doctrinam plurimorum auctoritate, egregiè comprobant quamuis cautè practicari debeat, ad quærimonias euitandas.

8 Si Sacerdotes Ordinis nostri obtinuerint approbationem pro audiendis confessionibus in Vrbe à Vicario Pontificis; non erunt extra Vrbem ab Episcopis examinandi, quoties confessiones excipere voluerint; verum satis erit, approbationem in Vrbe obtentam exhibere; facultatemq; ab Episcopis exquirere. Sixtus V. Congreg. Oratorij S. Mariæ de Vallicella de Vrbe, Const. *Decet Romanum Pontif. Non. Septembr.* 1586. *ibi, ac etiam, qui ex eis præuio examine ad Confessiones audiendas in ipsa Vrbe à dicto Vicario approbati fuerint, extra eandem Vrbem absq; alio examine, de licentia tamen Ordinariorum locorum indulto, & facultate huiusmodi vti, ac potiri liberè, & licitè valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus, &c.* vt in Comp. Bullarij Quarantæ. V. Confessor.

AN I-

ANIMADVERSIO.

PRæfato priuilegio non obſtante ea, quæ infra V. Concil. Trid. traduntur, licet enim in eo nulla in ſpecie fiat derogatio Concil. Triden. ſed generalis ſolummodo. Nihilominus quando Pontifex in aliquo caſu diſpenſat contra prohibitionem Concil. generalis, nõ eſt neceſſaria ſpecialis eiuſdem Concil. derogatio, præcipuè ſi talis diſpẽſatio, aut priuilegium inutile redderetur, ſed ſatis eſt derogatio vniuerſalis; ſicuti ex Felino, & alijs probat Sanchez lib. 8. de Matrimon. diſp. 35. num. 17. quibus ſuffragatur reſponſio S. Congreg. Concilij à Quaranta ibidem relata.

9 Quando noſtri Confeſſarij abſoluunt excommunicatos in foro Conſcientiæ, non obligantur ad ſeruandam formam in publicis abſolutionibus ſeruari ſolitam; videlicet flagellare excommunicatum pœnitentem, ſtatutas præces recitando. Leo. X. Fratr. Minor. Oraculo 16. prout teſtantur Literæ Laurentij tit. 55. Quatuor Coronatorum preſbyteri Cardinalis, ſub die 15. Apr. 1516. apud Roder. in Collect.

ANIMADVERSIO.

ILlud adnotare placet, ſolemnitatem abſolutionis nullatenus requiri in foro Sacramentali; Auctore Eman. Sà, V. Abſolutio ab excommunicatione, nu. 18.

Confeſſi noſtris Fratribus ad audiendas confeſſiones ſecũdum Iuris diſpoſitionem deputatis, nullo anni tempore, tenentur iterum ſua peccata parochis confiteri: oppoſitumq; aſſerentes ſuſpecti de hæreſi habentur; cõtra quos hæreticæ prauitatis Inquiſitores procedere poſſunt. Sixtus IV. Auguſtinianis in Marimagno, *Dum fructus vberes* §. *Rurſus quia intelleximus*; quod habet Rodericus in Collect. vſque ad num. 51.

ANIMADVERSIO.

CIrca præfatam abſolutionis materiam, lectorem ſcire conuenit, controuerſum eſſe apud DD. An regulares in Confeſſarios ab Epiſcopo approbati, validè poſſint audire Confeſsiones ſęcularium, inuitis eorum Prælatis? Angelus enim. V. Confeſſio 3. num. 4. partem

negantem sustinet. Adrianus q. 5. de Confessione Vers. *Sed circa hoc quæri potest* fol.266. impressionis Lutetiæ, affirmantem. Cui subscribit Angles in Floribus 4. lib. sent. tract. de Confess. fol. 268. Venetæ Impressionis apud hæredes Alexandri Griphij, dicens, Regularē non institutum Confessarium à suo Prælato, dummodo suspensus aut excommunicatus non sit, sola Episcopi auctoritate, audire posse sæcularium Confessiones, cùm habeat Ordinis potestatem indelebilem, per quam redditur capax iurisdictionis, quam ei Episcopus contulit, validasq; esse tales confessiones, inuito etiam proprio pręlato; quamuis innobedientiæ culpā contrahat, pęnamq; arbitrio pręlati infligendā effugere nequeat. His adstipulatur Henriq. lib. 3. de pœnit. c. 6. nu. 6.

In hanc etiam sententiam descendit Sà, V. Confessor, num. 11. qui scribit, Pręlatum approbato prohibentem audire Confessiones, non ideo facere inualidam absolutionem, nisi ei auferat iurisdictionem. Et Rod. Quęstionum Regul. Tom. 1. q. 60. art. 2. idem asserit.

Facultatē absoluendi à Censuris per Iubilęa, aut alias Bullas cōcessa, extra Sacramentum Confessionis vti possunt pręfatis Priuilegijs gaudentes. (*Vt auditis confessionibus Pœnitentium, eos à Censuris absoluant, &c.*) Prout tradunt Auila de Cēs. 2. p. cap. 7. disp. 3. dub. 13. Suarez, Tom. 4. de Relig. Tract. 10. lib. 9. c. 2. alijs citatis.

ÆDIFICARE.

1 NOlumus autem latere quempiam à Sacra Congr. Cardinaliū negotijs Regulariū prępositorum emanasse die 17. Augusti, 1621. Decretum eius, qui sequitur tenoris.

Cum aliàs fęl. record. Clemens Papa VIII. decreuerit Ordinarios locorum licentiam ad nouos Conuentus cuiuscumq; præsertim Mendicantium Ordinis in Ciuitatibus & locis eorum Ordinariæ iurisdictioni subiectis erigendos impartiri non posse, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem Ciuitatibus, & locis existentium Conuētuum Prioribus, seu Procuratoribus, & alijs interesse habentibus, & causa seruatis seruandis cognita in eisdem Ciuitatibus, & locis nouos huiusmodi erigendos Conuentus sine aliorum detrimento commodè sustentari posse constiterit. Si verò ab eorum sententijs ad Sedem Apostolicam prouocari, & appellari contigerit ipsos Ordinarios tam diù erectionem nouorum Conuentuum suspendere debere, quamdiu à dicta Sede in ea causa pronuntiatū extiterit, ac aliàs, prout in Decreto huiusmodi plenius continetur.

Verùm per piæ mem. Paulum Papam V. accepto, plerosq; ex Ordinarijs prædictis fauore, vel nimia exposcentium importunitate ad nouos Conuentus, seu Domos, præter, & contra tenorem prædicti Decreti exigẽdos plerumq; adduci, quo fit, vt non habita debita eleemosynarum, seù redditunm cuiuscumq; Monasterij, Conuentus, seu Domus, ratione Monachi, seù Fratres, aut Religiosi ibi degentes manuteneri nequeant, & ad tàm exiguum numerum reducãtur, vt cultus diuinus in eorum Ecclesijs destituatur, ibiq; regularis disciplina, vt conuenit, conseruari non valeat.

Sacra Congregatio Illustrissimorum DD. Card. negotijs Regularium præpositorum, ad quos idem Paulus V. negotium huiusmodi reiecerat, tot incommodis obuiam ire, eisq; aliquod opportunum remedium adhibere cupiens, Decreti huiusmodi veriores, ac totos tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro plenè, & sufficienter expressis habens viuæ vocis oraculo à S. D. N. Gregorio Papa XV. habito, Decretũ prędictum, quatenus opus sit innouat, & in vsum reducit.

Volens, quod de cætero, Monasterium, Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seù Regularium cuiuscumque etiam Mendicantium Ordinis, Societatis, & instituti quocumque nomine nuncupentur, etiamsi de illis particularis, expressa, & specifica mentio habenda esset in quacumque Ciuitate, vel oppido, seu quocumque alio loco, non erigantur, nisi in eo, saltem duodecim Fratres, aut Monachi, seù Religiosi inhabitare, ac ex redditibus & ex consuetis eleemosynis sustentari valeant; ac Priores, seu Procuratores aliorum Monasteriorum, Conuentuũ, & Domorum aliarum Religionum, vel Congregationum, aut Societatũ, seù institutorum huiusmodi, non solum in prædictis, sed etiam in alijs per quattuor millia passuum circumuicinis locis ad id vocati, & auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint, vel alias Ordinarijs locorum constiterit, Religiosos Monasterij, Conuentus, & Domus sic erigendi, seù erigendæ absq; detrimento Religiosorum in Monasterijs, seù Domibus antea in Ciuitatibus seù locis huiusmodi erectis degentium ibi in numero duodecim, commodè, & congruè manuteneri, & ali poss.

Si verò noui Conuentus, Domus Congregatio, vel Societas huiusmodi restituendæ erant, nulliq; alij Regularis inibi reperiantur, Ordinarij locorum nihilominus diligenter inquirant, an locorum incolæ, & habitatores, quorum, & consensum requirant, ac adhibeant huiusmodi duodecim Religiosos in Conuentibus, vt præmittitur instituendis cõmodè alere, & manutenere valeant.

Si verò à Decreto, seu Decretis per Ordinarios prædictos in causis huiusmodi ferendis legitimè appellari contigerit ex nunc, prout ex ea die qua appellatio interponetur, ea ad Sacram Cõgregationem vnà cum toto negotio principali deuoluta censeatur, appellationeq; huiusmodi pendente nihil innouandum esse, irritumq́, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernens, quibuscumq́, in contrarium facientibus non obstantibus.

Romæ 17. *Augusti* 1621.

Anton. Card. Saulius.

N. Zambeccarius Secret.

Præsentis negotij extat quoq; Vrbani Papæ VIII. nouissima constitutio, edita die 28. Augult. 1624. *Romanus Pontifex, cui,* & infra, *iustis de causis animum nostrum mouentibus, Motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam; sed ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine omnes, & quascumque licentias, & facultates huiusmodi, literasq; desuper, tàm sub plumbo, quam in eadem forma Breuis expeditas, omniaque, & singula in eis quomodolibet contenta, & expressa etiam quo ad erectiones, fundationes, & institutiones Monasteriorum, Collegiorũ, Domorum, Conuentuum, & aliorum regularium locorum huiusmodi, quæ suum nondum sortita sunt effectum, tenore præsentium perpetuo reuocamus, cassamus, abrogamus, & annullamus, iuribusq; & effectu prorsus euacuamus. Præterea Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum institutorum Regularium Superioribus, quocumque nomine nuncupatis; cæterisq; personis, ad quos spectat, in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub priuatione Vocis actiuæ, & passiuæ, necnon Officiorum suorum quorumcumque, ac inhabilitatis ad illa, & alia in futurum obtinen. Necnon etiam excommunicationis ipso facto incurrendis pœnis interdicimus, & prohibemus, ne licentiarum, seu facultatum per nos, vt præfertur, reuocatarum, & annullatarum, siue alio quouis prætextu, vel causa, etiam quantumuis priuilegiata, noua Monasteria, Collegia, Domos, Conuentus, & alia loca regularia huiusmodi, nisi de expressa Ordinariorum licentia, ac seruata in omnibus, & per omnia Sacrorum Canonum, & Concil. Tridentini, necnon Constitu-*

stitutionis fel. record. Clemen. VIII. quæ incipit; Quoniam ad institutam, &c. sub Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, sub anulo Piscatoris; Die 23. Iulij 1603. ac Decretorum de mandato eiusdem Clemen. necnon fim. me. Greg. XV. Roman. Pontif. Prædecessorum desuper editorum forma recipere, erigere, & absoluere audeant, seu præsumāt, &c.

2 Licet nostris loca quælibet, etiamsi sint parochialia accipere, iuxta formam præfati Decreti) nulla interueniente Sedis Apostolicæ auctoritate non obstante Cap. cū ex eo de excess. prælat. in 6. Iulius II. Generali Eremit. S. August. 17. Iunij 1508. Constitutione. *Et si ad benè merendum, & infra, Cum igitur superiori anno per nostras Literas quædam Religioni tuæ concesserimus, inter quæ id erat, vt loca oblata, tu Fratresq; tui tàm qui sunt, quam qui erunt capere pro Religione possitis. Nunc per has literas, eaque concessimus clarius declaranda duximus, eamdemque locorum suscipiendorum facultatem ad alia quæcunque Loca, Domos, Ecclesias etiam Parochiales, ac cuiuscumque sint Ordinis, aut Conditionis suscipiendas extendimus. Damusque proprio tàm motu, quàm scientia, atque plenitudine potestatis, vt hæc omnia capere possitis, facta Vobis potestate tàm per Litteras, quas supra memorauimus, quàm per harum concessionem, declarationemque litterarum, Licitè igitur Vobis perpetuò decernimus, hæc omnia posse capere, absque alia Sedis Apostolicæ concessione. Non obstante piæ mem. Bonif. VIII. Constitutione prohibente noua loca ædificari, &c.* Quæ omnia ad verbum extant in Collect. Rod. Bulla 20. sub Iulio II.

ALIENATIO BONORVM.

1 NOn obstante Pauli II. Constitutione, *Ambitiosæ Cupiditati*, de rebus Ecclesiæ non alienandis, Liberum est Congregationis nostræ Fratribus, conuenientibus duabus partibus vocalium illius Monasterij, bona quælibet stabilia, & valoris cuiusuis, atque in omni loco consistentia, etiā Mobilia pretiosa minus vtilia, sola Prioris Gener. petita licētia, alienare, absq; cōsensu Rom. Pōtif. Greg. XIII. Fratribus Eremitis S. Augustini. *Dum ad vberes &c.* ea tamen lege, vt pecunia, quæ ex alienatione conflatur, in ædificationem Monasteriorum nostrorum, vel reparationem, ac eorumdem necessitates conuertatur, secundum Clemen. VII. declarationem, vt in Comp. Minorum tit. Alienatio bonorum, §. 7. vide etiam alteram eiusdē Clem. Constitutionem apud Confett. nu. 3.

No-

Nolentibus etiam talia bona alienare, ius habent ijdē Fratres constituendi census redimibiles super dictis bonis, vel eadem in Emphiteusim ad tres generationes alienandi, nulla adhibita solemnitate; sed modo, ac forma præfatis. Greg. XIII. Societati Iesu. *ex debito pastoralis officij, Non. Augusti*, 1582. habeturq; in fine priuilegiorum Camald. Quod sanè priuilegium transumptum fuit ex Codice Priuilegiorum dictæ Societatis per Hieron. Sigismundū Notar. Veron. 27. Septembris 1597. de eoq; fit mentio in Comp. Priuilegiorum Cler. Regul. p. 2. eod. tit. §. 1. & 2.

2 Pro vberiori dilucidatione antedicti Priuilegij monemus; Contrahentes, obtenta tantummodo facultate à Reuerendissimo Generali, vel à Capitulo Generali per literas authenticas, absq; alia confirmatione, securè alienare posse modo supradicto, neq; obligatos esse ad demonstrandum vtilitatem, seù necessitatem venditionis, commutationis, vel alterius alienationis: Nec etiam conuersionem pretij in æquiualentia, aut meliora bona. Idem Greg. vt supra.

ANIMADVERSIO.

QVæ hactenus dicta sunt, circa bonorum immobilium, seu prætiosorum mobilium alienationem, intelligi omnino debent iuxta decretum S. Congregat. Conc. Vrbani VIII. iussu æditum, tenoris sequentis.

Sacra Congregatio Cardinalium Concil. Triden. Interpretum rerum experimento edocta, quantum Religiones accipiant detrimenti ex bonorum immobilium, & prætiosorum mobilium distractionibus, quas crebrò faciunt Regulares, Apostolicis priuilegijs innixi, ac proindè operæpretium putans, illorum facilitatem, aliqua ratione compescere: Speciali Sanctissimi D. N. iussu, Generalibus, & Prouincialibus, Capitulis, vel Congregationibus; Abbatibus, Generalibus, & quibuscumq; alijs Superioribus Regularibus, cuiusuis Ordinis, Congregationis, Societatis, vel instituti intra fines Europæ existentibus, omnium rerum, & bonorum immobilium, ac pretiosorum mobilium alienationem, omneq; pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, census perpetuos, seù vitalitios, hypotecam, locationem, & conductionem vltrà triennium, concessionem in feudum, vel emphyteusim, præter quam in casibus à iure permissis, fieri perpetuò prohibet, atq; interdicit, absq; ipsius Congregationis Concilij expressa licentia in scriptis, & gratis concedenda; sub pœna priuatio-

uationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, Vocisq; actiuæ, & passiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda, quam ipso facto absq; alia declaratione incurrant; Sublata etiam Generali, & Protectori illam moderandi, aut relaxandi facultate; pœnis nihilominùs Apostolicarum Constit. & præsertim fel. rec. Pauli II. quæ incipit, Ambitiosæ, in suo robore permansuris. Alienationes verò pacta, census, hypothecas, locationes, conductiones, & concessiones quascumque contrà huiusmodi prohibitionem faciendas, Sanctitatis suæ authoritate, ipso iure nullas, atque irritas decernit. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in fauorem quarumcunque personarum, atque Ordinum, tàm Mendicantium, quam non Mēdicantium, Militiarū, etiam S. Io. Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiusuis alterius instituti, etiam necessariò, & indiuiduo exprimendi, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum regularium quorumcunque, necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & priuilegijs sub quibuscumq; tenoribus, & formis, & cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa Scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seù extensionis, concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus, ac formis specialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes mentio, seù quæuis alia expressio habenda, & aliqua alia exquisita forma seruanda esset; tenores huiusmodi præsentibus pro expressis habentes, quibus, quo ad ea, quæ præsenti decreto, ac prohibitioni aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter, & expressè, Sanctitatis Suæ authoritate, derogat; cęterisque contrarijs quibuscunque.

Datum Romæ, die 7. Septembris 1624.

Cosmus Card. de Torres.

Prosper Fagnanus S. Congr. Secret.

Pro dilucidatione prædicti decreti, sciendum, casus à Iure permissos, in quibus alienare fas est, quattuor enumerari, scilicet, Necessitatem, Vtilitatem, Incommoditatem, Pietatem, vt latiùs videre est apud Glos. in Sum. cap. 1. 12. q. 2. Silu. verb. Alienatio num. 3. Nau. de reb. Ecclesiæ non alienan. num. 3. sed præter cæteros vide Suar. Tom. 4. de Relig. tract. 8 lib. 2. cap. 27. per totum.

Præterea, desideratur etiam ad licitè alienandum, quædam iuris solemnitas, quam exactè declarant Sylu. l. c. q. 2. Rodr. Quæstionum Regularium. Tom. 1. q. 27. art. 2. Quar. eod. V. nu. 3. & seqq. & Suar. l. c. ad quos breuitatis causa lectorem remittimus.

Species verò alienationis plures sunt, illasque videre poteris apud Nauar. cons. 6. & 7. de reb. eccles. non alienan. Rod. l. c. art. 4. Quar. l. c. num. 33. Suar. l. c. & Filliuc. Tom. 3. Tract. 44. c. 4. num. 17.

Post publicationem præfati Decreti, aliud exit, tenoris sequentis, *Cum post editum decretum de rebus regularium non alienandis compertum sit, Regulares, qui eodem decreto prohibentur census imponere super bonis ad eorum monasteria pertinentibus loco censuum huiusmodi, pecunias ad cambium, vel mutuo accipere cum solutione lucri cessantis, & damni emergentis; cumq; Ex huiusmodi contractu eludatur mẽs Sacr. Congr. cui in primis in votis fuit consulere Religionum idemnitati, quæ ex impositione censuum huiusmodi plurimũ læduntur S. D. N. approbante decreuit, ac declarauit huiusmodi contractum esse contra mentem decreti, vt supra editi; Ideoque non licere Regularibus pecunias, vt proponitur accipere, ac si acceperint in ipsius decreti pœnas ipso facto incidere.*

Dat. Romæ die 21. *Martij* 1626.

Cosmus Card. de Torres

Prosper Fagnanus.

APOSTATA.

INterdictum est Fratribus nostris professis, recedere à Monasterio absque proprij Prioris licentia. Quisquis autem contra præsumpserit attentare, discedendo, & apostatando ab obedientia Prælati, eo ipso maioris excommunicationis vinculo obstringitur. Neque vlli permissum est, huiusmodi apostatas recipere, aut retinere: idque sub

excom-

excommunicationis latæ ſententiæ pœna. Innoc. VIII. Ord. Min. vt eorum Comp. Tit. Apoſtata ab Ordine, nu. 21.

Limitatur, vt non procedat dicta excommunicatio, niſi quãdo ipſi recipientes, ita requiſiti, infra trium dierum ſpacium non remiſerint huiuſmodi Apoſtatas ad eorum Monaſteriũ Leo. X. Camald. 4. non. Iulij, 1513. *Et ſi à Summo,* infraq; *Ac nulla Eccleſiaſticę, vel ſæculares perſonæ quacumq; auctoritate, vel dignitate præditæ, aliquem ex Prælatis, vel Monachis Congregationis prædictæ, obſequiorum, vel ſeruitiorum propriorum, vel Monaſteriorum ſuorum prætextu, etiãſi abſq; licentia ſuorum Superiorum ad eas diuertere, vel alia quauis cauſa, etiam arctionis vitæ, ordinis, vel obſeruantiæ à dicta Congregatione educere, vel ſpontè venientes recipere, & penes ſe retinere audeant, etiã auctoritate litterarum Apoſtolicarum, in quibus de huiuſmodi Prælato, vel Monacho, & Congregatione nominatim, expreſſa mentio non fiat, abſque conſenſu Capituli, ſeù Generalis, vel maioris partis Viſitatorum Congregationis huiuſmodi pro tempore exiſtentium. Quod ſi recipientes præfati infra tres dies, poſtquam eis præſentes innotuerint, Prçlatũ, vel Monachum extra ipſam Congregationem exiſtentem huiuſmodi, eidem Congregationi non reſtituerint cum effectu, vel à ſe realiter non abiecerint, excommunicationis ſententia innodati exiſtant, eo ipſo, à qua niſi in mortis articulo, aut à Sede prædicta abſolui non poſſint, &c.*

Nec ſolum ob præfatum priuilegium, ſed etiam iure communi excommunicatione ligantur Apoſtatæ, ſi habitum ſuæ Religionis exuerint. Cap. Vt periculoſa, Ne Clerici, vel Monach. in 6.

ANIMADVERSIO.

Recipientes verò, aut retinentes Apoſtatas, vel fugitiuos ſolius conſanguinitatis, affinitatis, amicitiævè gratia; huiuſmodi excommunicationem non incurrunt. Rod. Tom. 1. qq. regg. q. 30. art. 9. Eman. Sà, V. lex num. 14. Vide Suarez Tom. 4. de Relig. Tract. 8. lib. 3. cap. 3. nu. 2.

2. Superiores noſtri compelli non poſſunt, ad recipiendos Congregationis noſtræ fugitiuos prætextu quarumlibet literarum Apoſtolicarum, niſi prçſentibus ſpecialiter expreſsèq; derogatum fuerit. Iulius II. Can. Regul. Lateran. 4. Non. Apr. 1512. *Inter cęteros,* & infra: *Neque Congregationis huiuſmodi Prçlati quarumcunque Litterarum*

rum Apoſtolicarum prætextu, niſi illis præſentibus ſpecialiter, & expreſſe derogetur ad recipiendum Canonicos, qui aliàs ab eorum proprijs Monaſterijs, ſiuè locis abſq; ſuorum Superiorum licentia contumaciter receſſerint, à quocumque queant quomodolibet coarctari, &c. Vt in eorundem Comp. priuil. fol. 401. Idem à Leone X. conceditur Camald. in Bulla prænotata, fol. 31.

3 Quilibet Apoſtata ab Ordine noſtro expulſus, quãlibet aliã Religionem, ijs exceptis quæ deferunt arma, ingredi poterit. Sixtus IV. Ord. Minorum, in Marimagno, apud Rodericũ nu. 25. in hęc verba. *Eiectos autem ab Ordine veſtro, vel egreſſos, qui à receptione in eodem ordine ſuis culpis exigentibus rediderint ſe indignos, & alios Fratres eiuſdem Ordinis ex rationabili cauſa ad quoſcumque Ordines approbatos (præterquam ad B. Auguſtini Templariorum, Hoſpitaliorũ, & aliorum Religioſorum arma portantium) ad vitandam occaſionem euagandi; Generales, & Prouinciales Miniſtri cum ſuis teſtimonialibus literis, auctoritate noſtra, licentiandi, liberam habeant facultatem. Nos enim diſtrictius inhibemus, ne tales ad alium Ordinem aliter tranſire, vel aliqui eos recipere, ſeù retinere præſumant abſque licentia ſpeciali Sedis Apoſtolicæ, faciente de hoc plenam mentionem.*

4 Vigore conceſſionis Minoribus factæ quicumque ab Ordine noſtro receſſerit; factoq; ei mandato ab aliquo ex Superioribus noſtris, de redeundo infra octo proximiorum dierum ſpatium, ad obedientiã reuerti noluerit, excommunicationi Pontifici reſeruatæ, ipſo facto, ſubijcitur: Qua etiam excommunicatione innondantur omnes, qui auxilium, conſilium, & fauorem ei præbuerint, prout habetur in 2. p. Comp. Cler. Regul. eod. tit. §. 1.

5 Poſſunt Religionis noſtræ Superiores, de plano, ac ſine figura iuditij, inuocato etiam auxilio brachij ſæcularis, ad Ordinem reuocare, capere, & carceri mancipare, debitæque pęnitentiæ ſubijcere omnes, qui emiſſa ſolemni profeſſione, ſine legitima Prioris Generalis auctoritate à Religione noſtra receſſerint, & in ſæculo, ac in alio, etiam Religioſo loco commorari auſi fuerint; Pius V. Societ. Ieſu, 16. Kal. Februarij 1565. *Aequum reputatus*, & infra; *Et nihilominus ſi quis ex Religioſis pręfatis, animo indurato, aliquid in contrarium attentare præſumeret, vel à dicta Societate poſt in ea emiſſa vota (vt pręfertur, abſque Superioris licentia exire, & in ſęculo, vel alio etiam Regulari loco degere pręſumeret; liceret dicto Generali, alijſque dictę Societatis, Præpoſitis, & Superioribus eoſdem tranſgreſſores, & exeuntes, tanquam*

Apo-

Apoſtatas, etiam per auxilij ſęcularis brachij inuocationem, ſummariè, & ſine figura Iudicij ad dictam Societatem reuocare, capere, & incarcerare, ac debita pęnitentiæ ſubijcere, auctoritate Apoſtolica, &c. Apud Ioan. Azor. lib. 13. cap. 7. p. 1. Inſtitut. Moral.

6 Quoties quiſpiā ex noſtris Fratribus, emiſſa profeſſione ad ſæculum redierit, prætextu etiam cuiuslibet Indulti conceſſi, ſeù concedēdi, niſi id faciat de expreſſa ſuorum Superiorum facultate, ab eo ſpecialiter ad id obtinenda, eo ipſo excommunicatus erit; neque ab alio, quàm à Rom. Pont. aut Priore Generali beneficiū abſolutionis cōſequi poterit. Pius V. Societ. Ieſu, vt in præfata Bulla, *Aequū reputatus,* & infra, *quod nullus dictæ Societatis religioſus*, &c. *ſiuè profeſſus*, &c. *cuiuſcumq; ſtatus, gradus Ordinis, vel conditionis ille foret à dicta Societate exire, aut recedere, etiam prætextu cuiuſuis Indulti ab eodem Pio Prædeceſſore, vel alio Romano Pontif. pro tempore exiſtente, ſeu illius maiore Pœnitentiario, aut aliquo Nuntio, vel Legato, etiam de latere impetrati, vel impetrandi, &c. abſq; expreſſa Superioris ſui licentia ad id, ab eo ſpecialiter obtenta, &c. ad quemuis alium, &c. Ordinem tranſire, vel etiam per Superiores Ordinum huiuſmodi ſuorumvè Monaſteriorum (præfato Ordine Carthuſienſium dumtaxat excepto) recipi, ſeù admitti poſſet, ſeu præſumeret, ſub pęna excommunicationis, tàm per recipientes, quam receptos, ac recedentes præfatos ipſo facto incurrenda, &c. & à qua ſic innodatus, præterquam in mortis articulo ab alio, quam à Romano Pontifice, vel Superiore Societatis huiuſmodi abſolui non poſſet. Quodque nihilominus ſecus facta non tenerent, & nullius exiſterent efficaciæ, vel momenti, &c.*

Et Gregorius XIII. ſanciuit, hos omnes, veluti veros Apoſtatas puniri poſſe, excommunicationiq;, ac cęteris Apoſtatarum pęnis Rom. Pōtif. ſeù Priori Generali reſeruatis ſubiectos exiſtere; Vide Annot. Capuccini ad Comp. Minorum, hoc tit.

7 Ius habet Prior noſter Generalis, tàm per ſe, quàm per alios à ſe deputandos, excommunicandi, capiendi, incarcerandi, ſuæque diſciplinæ ſubijciendi quoſcumque ab Ordine noſtro Apoſtatas, licet in Curia Romana reperiantur. Sixtus IV. in Marimagno Carmelitarū, num. 93. & in Comp. Min. eod. tit. num. 9.

8 Tàm Apoſtatæ, quàm pro ſuis culpis ab Ordine noſtro reiecti; niſi ex facultate Prioris Generalis, vel Romani Pontif. alium Ordinē ingreſſi fuerint; prohibētur omnino Confeſſiones audire, ac etiā prædicare. ſecus verò temerè facientes, excommunicari poſſunt à Priore

Gene-

Generali. Innoc. IV. Ord. Min. 6. Idus Septembr. Anno 4. ſui Pont. Conſtit. *Iuſtis petentium*, infraque. *Nos veſtris precibus inclinati, ne prędicti, quos ab Ordine pro ſuis Culpis per Vos expelli contigerit, vel egreſſi fuerint proprio ſuo motu prædicare; ſeù confeſsiones audire, ſeù docere præſumant; niſi de noſtra, vel Veſtra licentia ad alium tranſierint Ordinem, diſtrictius inhibemus. Quia ſi fortè contra inhibitionem aliud fuerit temerè attentatum, liceat Vobis in ipſos excommunicationis ſententiam promulgare.* Apud Rod. in Collect. Idem iiſdem conceſſit Sixtus IV. in Marimagno nu. 24.

ANIMADVERSIO.

CVm ea ſit differentia inter fugitiuum, & Apoſtatam, quod fugitiuus propriè dicitur, qui abſq; licentia Superioris à Monaſterio recedit, vt extra ipſius Obedientiam ſit. Apoſtata verò, qui recedit à Monaſterio animo excutiendi obedientię iugum in perpetuum, deſerendiq; regulare inſtitutum. Iuribus à Sanchez citatis, lib. 6. Moral. Cap. 8. num. 2. comperti iuris eſt, Religioſum recedentem à Monaſterio animo aliquandiu vagandi extra Religionem, poſteaque ad eam reuertendi; Vel nimis ſæuiente prælato, vel iure credens ſe non eſſe profeſſum; eſſe fugitiuum, non autem Apoſtatam, ſecūdum Auctores à Sanchez ibidem citatos. Quibus adde Eman. Sà, V. Religio num. 71. & Riccium Prax. Rerum quot: Reſolu. 15 idque verum erit, etiam ſi habitum tunc temporis dimittat. Ex Sanchez l. c. aliiſq; ab eo relatis; quamuis per talem habitus dimiſſionem excommunicatus cenſendus erit; per ea, quæ tradit Riccius, l. c. nu. 3.

Multo magis ſi Apoſtata dimiſerit habitum, non aſſumpto habitu alterius Religionis, excommunicatus exiſtit. Supra nu. 1. 4. & 6. Vide Sylu. V. Apoſtaſia, nu. 11. Eman. Sà, l. c num. 72.

Bannes 2. 2. q. 12. art. 1. concl. 6. aſſerit, peccare mortaliter recedētem à Monaſterio, nulla inferioris Prælati facultate requiſita, prętextu adeundi Maiores Superiores, licet talis receſſus fiat ad ſe defendendum ab indebita illius vexatione; cui adſtipulantur Sanchez l. c. nu. 17. & Rod. in Summa p. 1. c. 43. num. 1. dummodo Scandalum, aut perturbatio in Religione ex huiuſmodi receſſu orirentur, quæ meritò defenſioni recedentis præferenda eſſent.

Tàm fugitiuus, quàm Apoſtata à Religione, vbique, etiam extra Territorium per ſuum Prælatum capi poteſt; inuocando quoque, ſi opus

opus erit, auxilium brachij ſæcularis pro eo capiendo, quamuis in Curia Romana reperiatur; prout ex Nauarro probat Sanchez l. c. num. 33. & Bonac. de Clauſ. q 2. p. 11. §. 3. nu. 1.

Ex Concil. etiam Trid. ſeſſ. 25. de Regul. cap. 19. elicit Mandoſius de Priuil. ad inſtar, gloſ. 3. nu. 10. quem refert Sanchez ibid. num. 34. Apoſtatam, ſecuta Iudicis ſententia, non gaudere priuilegijs Religionis.

Bona per Apoſtaſiam acquiſita, Monaſterio acquiri, ſi eſt Capax; tradunt Leſſius lib. 2. cap. 41. ſub fin. nu. 112. & Molina, Tom. 1. diſp. 140 nu. 26. Nauar. Com. 2. de Regularib. num. 33. ſcribit non acquiri Monaſterio, ſed Summo Pontifici ſi Apoſtata exemptus ſit; ſi non exemptus, Epiſcopo loci.

Quibus tamen Doctoribus refragari videtur Conſtit. Greg. XIII. quæ incipit, *Officij noſtri Cura*, edita anno 1577. ſi tamen vſu recepta eſt, ſtatuentis, Bona in Apoſtaſia acquiſita deuolui ad Cameram Apoſtolicam; Pauli, & Pij IV. Conſtitutionibus reuocatis; cuius Sūmarium, necnon ſcholia duo huc ſpectantia, non negligenda habes apud Flauium Cherubinum, Tom. 2. Bulla 43. ſub Greg. XIII.

Quænam Apoſtatarum bona pertineant ad Cameram Apoſtolicā. Vide Suarez Tom. 4. de Relig. Tract. 8. lib. 3. cap. 2. à nu. 20. ad finem.

Sed enim cùm ex vulgata iuris regula poſteriora derogant Prioribus, conuenit huic loco afferre Decretum Sacræ Congr. Conc. Trid. nuper promulgatum tenoris ſequentis.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Trident. Interpretum, Regularium eiectorum, & fugitiuorum ſtatui conſulere, illorumque ſcandala ſummouere, & ſuccreſcentem numerum frangere operæ pretium exiſtimans, auditis Religionum Superioribus, req. diligentiſſimè perpenſa, communicato etiam conſilio cum S. D. N. Vrbano VIII. atque ex peculiari Sanctitatis Suæ facultate, infraſcripta decreta edidit.

Ac primò, vt infecta ſemina, è quibus praui eiuſmodi fructus potiſſimum, prodeunt, deinceps nè ſerantur in vinea Domini, cenſuit, eſſe innouandas, & Sanctiſſimi authoritate innouat Conſtitutiones, & Decreta generalia ſan. me. Clementis VIII. ad Regularium reformationē, ac Nouitiorum receptionem, profeſſionem, atque inſtitutionem ſpectantia, diſtrictèq. præcipit Generalibus, atque alijs omnibus Ordinum Superioribus, vt illa exactè obſeruent, atque, vt obſeruentur, efficiant, ſub pœnis ſtatutis in ijſdem Conſtitutionibus. A quibus tamen excipiendū cenſuit, caput illud, quo decernitur, ne in Conuentibus, ſeu Monaſterijs

ad Nouitios recipiendos hactenus deſignatis, & approbatis, ſeu impoſterum deſignandis, & approbandis Nouitij ad habitum nullatenùs recipi poßint, niſi prius à Congregatione Reformationis Apoſtolicæ, vel à proprijs locorum Ordinarijs expreſsè, & nominatim approbati fuerint. A cuius quidem decreti obſeruatione Sacra Congregatio iuſtis de cauſis cenſuit Regulares eſſe abſoluendos, prout, authoritate S. D. N. abſoluit, atque exemit.

Deinde, vt apoſtatãdi opportunitas Regularibus præripiatur, ſtatuit, vt de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem tranſire, niſi priùs Superiori legitimè conſtiterit, eam Religionem paratam eſſe illum recipere, qui licentiam petit, tumq. regularis recta ſe transferat ad arctiorem. Quod vt re ipſa adimpleatur, idem Superior omni ſtudio, ac diligentia inuigilet.

Rurſus ſtatuit, vt fugitiui, & Apoſtatæ, ſiue habitum regularem deferant, ſiue non, poſsint, ac debeant ab Epiſcopo loci, vbi moram trahũt, in carceres conijci, ac Superioribus Regularibus conſignari, ſecundùm regularia inſtituta puniendi, vtque ipſi quoque Superiores teneãtur eos perquirere, ad religionem reducere, atque efficere, vt apprehendantur; ſalua tamen in omnibus facultate Ordinarijs locorum attributa decreto Concil. cap. 3. ſeſſ. 6. *Quòd ſi Apoſtatæ huiuſmodi citrà montes infra quatuor, vltrà montes verò infra octo menſes à præſentis Decreti publicatione inchoandos, ſua ſpontè ad ſuam quiſque Religionem redierit, tùm pœnarum omnium ipſis propter Apoſtaſiam inflictarum, aut infligendarum remiſsionem, atque impunitatem aſſequantur. Ita tamen vt debeant à Superiore abſolutionem humiliter petere, & coram eo culpam fateri, atque emendationem polliceri; Superior verò è contra benignè illos teneatur excipere, ab huiuſmodi pœnis abſoluere, & paterna charitate complecti.*

Ad hæc, vt in poſterum è Religionibus nullus legitimè profeſſus eijci poſsit, niſi ſit verè incorrigibilis; verè autem incorrigibilis minimè cenſeatur, niſi non ſolùm concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex iuris communis diſpoſitione requiruntur, ſublatis hac in parte Statutis, & Conſtitutionibus cuiuſque Religionis, & Ordinis, etiam à Sede Apoſtolica approbatis, & confirmatis: verùm etiam vnius anni ſpatio in ieiunio, & pœnitentia probetur in carceribus; proindeq. vnaquaque Religio priuatos habeat carceres in qualibet ſaltem Prouincia. Elapſo autem anno, ſi nihilominus non reſipuerit, ſed animo indurato in ſua peruicacia perſeuerauerit, ne contagione peſtifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida,

bida, ac membrum putre eÿci tandem possit, sed ab ipsomet Generali tãtùm de consilio; & assensu sex Patrum ex grauioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus; tumq. nonnisi instructo secundùm eorum stylum, & Constitutiones processu, & plenè probatis causis expulsionis ad Sacrorum Canonum præscriptum. Intereà tamen vsque ad primum generale Capitulum, seu Congregationem proximè celebrandam, si quempiam ex iustis, & necessariÿs causis expellere oportebit, eiectio fieri possit à Generali cum consilio, & assensu sex Patrum, vt supra, quos idemmet Generalis eligere debeat infra quatuor menses à præsentis Decreti publicatione; seruata tamen in reliquis forma superiùs præscripta. Sic verò eiecti, quandiù non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant, atq; Ordinariÿ loci iurisdictioni, & obedientiæ subsint, proindeq; Generalis illicò expulsionis sententiã eidem Ordinario notificare teneatur. Cæterùm Sacra Congregatio Religionum Superiores seriò admonet, ac per Iesu Christi viscera obtestatur, vt, memores paternæ charitatis, & mansuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, vt lucrentur animas fratrum suorum ferè in profundum malorum delapsas, antequàm grauissimum, atque extremum expulsionis remedium experiantur. Idq. eò magis, quod subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium, & sui officÿ immemorũ Prælatorum regimine peribunt, Dominus Noster Iesus Christus in supremo Dei iudicio de eorundem Prælatorum manibus sit requisiturus.

Præterea statuit, vt ÿdem Superiores nemini ex Religiosis expulsis literas testimoniales concedant, illos ad Sedem Apostolicam reÿcientes, vel iubentes aliam ingredi Religionem.

Item, vt eiecti extrà Religionem degentes sint perpetuò suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinariÿs locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.

Ac postremò censuit, esse innouandam, & suæ Beatitudinis authoritate innouat Const. fel. rec. Greg. Noni relatã in c. fin. extra de regul. *ac prætereà declarat, eam Constitutionem in ÿs quoque vendicare sibi locum, seruandamq. esse, qui iustè, diffinitiuè que, ac iuris ordine seruato expulsi fuerint; dummodò tamen in expulsis huiusmodi subsit spes euidens emendationis ex literis saltem testimonialibus Ordinarÿ, cuius conscientiã in his literis concedendis Sacra Congregatio seriò onerauit.*

Ne qua verò difficultas in suprascriptis decretis, & ordinationibus exequendis suboriatur, Sacra Congregatio, S. D. N. annuente, atq; approbante, vniuersis Generalibus, Prouincialibus, Cõmissariÿs, Ministris,

Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicarijs, & quibuscunque alijs Superioribus quorumcumque Ordinum, vel Congregationum, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regulalium vbique locorum existentium iniungit, serioq. mandat, vt illa diligenter obseruent, atque obseruari procurent in omnibus Cœnobijs, ac Monasterijs, Collegijs, ac Domibus quorumcumque Monachorum, ac Regularium vbiq. locorum existentibus, efficiantq; vt tàm Decreta supradicta fel. rec. Clementis VIII. quàm præsentes Ordinationes in singulis eiusmodi locis bis saltem in anno legantur in publica mensa.

Si quis verò ipsorum aduersus ea, quæ superiùs præscripta sunt, vel eorum aliquid, quo quo modo facere, vel moliri præsumpserit, ipso facto pœnam incurrat priuationis omnium officiorum, quæ tūc obtinebit, vocisque actiuæ & passiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda, pœnaq; huiusmodi sit Sanctitati Suæ, ac Sedi Apostolicæ reseruata, ijsdem Superioribus, etiam Generalibus, & Protectoribus illam moderandi, seu relaxandi potestate penitùs interdicta, & nihilominus sit irritum, & inane quicquid secus, à quoquam actum extiterit. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in fauorem quarumcumq; personarum, atque Ordinum, tàm Mendicātium, quàm non Mendicantium, Congregationum, Monasteriorum, Cōuentuum, Domorum, ac locorum Regularium quorumcumque, necnon illorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & priuilegijs, etiā in corpore iuris clausis, aut ex causa, vel titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Mari Magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset; tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus, omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro expressis

habens,

habens, quibus quo ad ea, quæ ſupradictis quomodolibet aduerſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſsè, Sanctitatis ſuæ authoritate, derogat, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Dat: Romæ die 21. Septembris 1624.

Coſmus Card. de Torres.

locus † ſigilli.

Proſper Fagnanus S. Congr. Secret.

Porrò ad dilucidationem præfati Decreti, ſcire oportet, Tres in iure dari ſpecies incorrigibilitatis, Vna, quando correctus reuertitur ad priora delicta, in illiſve perſeuerat; cap. cùm non ab homine, de Iudic. Alteram, quando correctus, tertiò admonitus non ceſſat; cap. contingit. 2. de ſent. excomm.

Tertiam, ſi recuſat agere pęnitentiam ſeù delicti pęnam luere, vel ſi nō permittit ſe capi à ſuo Iudice; cap. Vt fama, de ſent. excom. & cap. literas, de præſumpt. in 6.

Præterea opus eſt etiam, Vt vnius anni ſpatio in Ieiunio, & pęnitentia probetur in Carceribus. Quo elapſo, ſi non reſipuerit, ſed in illis, aut æqualibus, vel grauioribus delictis adhuc perſeuerauerit, ab ipſo tantum Patre Generali cum conſilio, & aſſenſu ſex Patrum ex grauioribus, tandem eijciendus erit, &c. Vt in præſenti decreto, Verſ. *Ad hæc in poſterum, &c.*

Quibus pęnis afficiantur Prælati Religionū ſuos fugitiuos, & Apoſtatas non reuocantes, clarè patet ex præfato Decreto, Verſ. *Si quis verò ipſorum aduerſus ea, &c.*

APPELLATIO.

1 PRior Generalis Congregationis noſtræ, quauis Subditorum ſuorum, appellatione neglecta, fungi poteſt liberè officio ſuo Sixtus IV. Generali Eremit. S. Auguſt. in eorum Marimagno, apud Roder. in Collect. nu. 49. in hæc verba. *Illi præterea particulæ litterarum prædictarum, &c. in qua Patribus prædictis eligendis Generalem Priorem dicti Ordinis, &c. adijcimus, Motu, ſcientia, & auctoritate prædictis, quòd idem Generalis Prior ſic electus, poſtquam electionis ſibi præſentato decreto conſenſerit, intelligatur auctoritate Apoſtolica confirmatus,*

firmatus, eo ipso, & liberè administret, & exerceat, quæ ad Suum Prioratus Generalis pertinet officium, reiecta quauis professorum dicti Ordinis, & aliorum sibi, ratione dicti officij subditorum appellatione, quæ ab eius præceptis, monitionibus, Ordinationibus, mandatis, & decretis regularis disciplinæ eorundem quomodolibet interponi continget, &c.

2 Vetitum est Congregationis Nostrę, Fratribus appellare ab institutis, ordinationibus, correctionibus, atq; præceptis Prioris Generalis, & ad alios Superiores extra Religionem, etiam ad Sedem Apostolicam, nisi ex speciali licentia Romani Pontificis Appellationesq; pro tempore desuper interpositæ, indeq; secutæ, irritæ omnino habētur. Eugen. IV. Congregationi S. Iustinæ pridie Kal. Iulij, anno 1436. *Regularem vitam agentibus, &c.* Et Leo X. Camald. in allegata Bulla. fol. 31. in hæc verba, *Et nulli Prælatorum, vel Monachorum prædictorũ ab institutis Ordinationibus, Correctionibus, & mandatis Capituli, siue Generalis Ordinis, aut aliorum Prælatorum Congreg. huiusmodi, ad quẽcumque, etiam ad Nos, & Sedem prædictam, de speciali indulto Summi Pontificis liceat appellare, appellationesq; desuper interpositæ, & inde sequuta irrita habeantur; &c.*

Contra Regulares ad Vrbem temerè, & leui, ex causa prætextu appellationis accedentes absq; suorum Superiorum licentia; adest eiusmodi decretum Sacræ Congregationis Regularium. *Quoniam nonnulli Regulares vagandi studio secundum imminentem admissorũ Criminum pęnam ex suis Constitutionibus, aut aliàs debitam sibi metuunt falsa, & comentitia grauamina causati non ad immediatè sui Ordinis Superiores, scilicet à grauamine Prioris, ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, prout cuiusque Religionis cõstitutionibus disponitur; sed ad hanc Romanam Curiam absq; licentia sæpius fugiunt, potius quam recurrant, ex quo Ordinum disciplina relaxatur. Prælati contemnuntur, & ipsi in dies audatiores euadunt. Placuit Sacræ Regularium Congregationi, ex Ordine Sãctissimi statuere, vt si quis Regularium in posterum temerè, leuivè ex causa hanc Almam Vrbem, seu Curiam, absque sui Superioris licentia, & supradicta forma prætermissa, adire præsumpserit, ad suos eosdem Superiores, seueriori pęna plectendus remittatur.*

F. Michael Bonellus Card. Alexandrinus.

Georgius Palearius V. I. D. Secretarius.

4 In virtute Sanctæ Obedientiæ prohibetur nostris Fratribus appellatio extra Ordinem proprium, & contrafacientes Congregationis rigori subijciuntur. Alexand. IV. Cistercienfibus Const. *Virtutum meritis*. In Collect. Roder. nu. 32. vbi hæc inter cętera leguntur; *Nos igitur, &c. Vniuersis & singulis personis eiusdem Ordinis in virtute Obedientiæ, districtius inhibemus, ne aliqua ex personis ipsis prætextu alicuius quæstionis, vel difficultatis in eodem Ordine emergẽtis, extra ipsum Ordinem appellare præsumat. Decernentes eos, qui secus egerint, &c. rigori sæpè dicti Ordinis contra tales inibi introducto, (non obstante appellatione huiusmodi) subiacere.*

Præterquam quod declaratum fuit Motu proprio, ab Innoc. VIII. eidem Ordini, in hunc modum appellantes, excommunicationis vinculo eo ipso legari, & tanquam excommunicatos ab omnibus habendos esse, necnon appellationem irritam, & nullius vigoris futuram apud Iudices ad quos contigerit appellare. ita in Compend. Cleric. Regul. hoc tit. vide infra. V. correctio.

ANIMADVERSIO.

LIcet in Apostolicis priuilegijs, & in Cap. Ad nostram, de appella. videatur interdicta appellatio religiosis, id tamẽ intelligi debet quo ad appellationem à Correctione, & mandatis suorum Prælatorũ legitimè factis, secundum Ordinis Constitutiones. secus quando à Prælatis modus exceditur; Vt habetur ex Cap. de Priore, de appellat. ibi enim Prior regularis, qui noluit deferre appellationi religiosi, pręcipitur seuerè puniri. Sanchez lib. 6. Moral. c. 8. à nu. 102. vide Suar. de Relig. Tom. 4. tract. 8. lib. 2. c. 11. nu. 3. & seqq. & Nauarr. Com. 3. de regul. nu. 51. cons. 4. de appellat. sed præsertim, cons. 9. de Constit. nu. 8. scribens per huiusmodi appellationem suspendi sententias, & Censuras Prælati regularis.

Non solum per viam appellationis, sed etiam per viam simplicis querelæ, integrum est Regularibus recurrere ad suos Superiores; ad notata per Sanchez l. c. num. 110. & Rod. Tom. 1. qq. regg. quæst. 29. art. 2. & alios ibidem.

Immò, & ad alios Superiores extra religionem; Vt in alia Sacra Card. Congreg. concessum fuit; Ann. Dom. 1587. modò appellatio gradatim, hoc ordine interponatur. *A Guardiano ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem; à Generali ad Protectorem, & à Protect. ad*

Sacram Congreg. Cardinalium. Vt videre est apud Sanchez loc. cit. num. 107.

BENEDICERE.

1 PRiores Ordinis nostri, & in absentia eorum, vices gerẽtes, gaudent facultate solemniter benedicendi nostras Ecclesias, Oratoria, paramenta, corporalia, ornamenta, cæteraq; ad Dei cultum, & vsum Ordinis necessaria; vbi nõ interuenit vnctio. Item Ecclesias pollutas reconciliandi, aqua ab ipsis benedicta; dummodo Episcopus qui illam benedicat, distet vltra duas dietas. Leo X. Minoribus apud Rod. Priuilegio, *Religionis honestas die* 3. *Februarij* 1514. Vbi hæc leguntur.

Nos igitur, & infra. *Huiusmodi supplicationibus inclinati, Vobis, & pro tempore existentibus Generalibus, & Prouincialibus, Guardianis, & Fratribus Vestri Ordinis, & Obseruantiæ, vt Ecclesias Oratoria, & loca quæcunque recepta, & recipienda, nondum consecratas, seù consecrata, facta prius requisitione ab Episcopis Locorum, eisq; recusantibus, vel negligentibus per quemlibet alium Catholicum Episcopum, gratiam, & communionem dictæ Sedis habentem consecrari facere. Ac vestri Ordinis Generalibus, Vicarijs, & Custodibus, ac Guardianis pro tẽpore existentibus, & præfatis, Vt omnia, & singula eiusdem Ordinis, & Obseruãtiæ Ecclesias, Cœmeteria, ac Capitula, & Oratoria vbicumque existentia receptas, & recepta, & recipiendas, seu recipienda, ac paramenta, & ornamẽta, ac alia quæcumque ad diuinum cultum, & vsum vestrum necessaria, in quibus Chrisma non interuenit, pro vestro vsu tantum, solemni benedictione, ac etiam per Vicarios, seu Guardianos, aut alios ad hoc a Vobis in vestris Capitulis Generalibus prouidè deputandos, benedicere; ac illas, seù illa, & eorum quodlibet sanguinis, seminis effusione, seù aliàs quomodolibet pollutas, seù polluta quoties opus fuerit, aquæ per Vos, præsertim in locis remotis, vbi Episcopum, aquam benedicentẽ, per duas dietas adire non poteritis, benedicta reconciliari liberè, licitè valeatis, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus, Non obstantibus contrarijs quibuscumq;, &c.* Vide etiam eorum Comp. tit. Benedicere; §. 14. & in fin.

ANI-

ANIMADVERSIO.

PRo reconciliandis Ecclesijs,seu Cœmeterijs non consecratis, sufficit aqua per simplicem Sacerdotem cum Sale benedicta. Pro cõsecratis verò,requiritur aqua per Episcopum cum vino, & cinere benedicta,dummodo Episcopus, qui illam benedicere solet nõ absit vltra duas dietas, in cuius absentia conceditur vsus aquæ per Sacerdotem benedictæ.lege Confett.tit.18.c.5.

2 Prioribus nostris; Vicarijsque,ipsis absentibus, indultum est paramenta,Corporalia, Ornamenta, & quæuis alia ad Dei cultum attinentia,tàm proprij Monasterij,quàm vndecumque oblata benedicere. Innoc. VIII. Congregationi S. Iustinæ de Padua, Vt in Annot. Capucc.ad Comp. Min. Tit. Benedicere Ecclesiastica.

3 Communicatione priuilegij Innoc. VIII. Eremitis Augustinianis concessi,possunt Visitatores Nostri, Ornamenta Ecclesiastica,etiã Corporalia benedicere. Vide Constitutionem ipsius Innocent. apud Confett.*Vacantibus sub Religione* 17. *Kal. Decembr.*1487. & Comp. Min.eod.tit.num.8.

Eandem facultatem Priori Generali, ac Vicario Generali eorundem indulsit Iulius II. *Etsi ad benè merendum,die* 17. *Iunij*, 1508. In Collect. Rodr.

ANIMADVERSIO.

BEnedictiones supradictæ reperiuntur in Rituali Romano,ex Mãdato Pauli V. edito 1614.

Quæri potest, Vtrum Fratres Nostri, & qui huiusmodi priuilegijs gaudent,hac facultate paramenta Ecclesiastica benedicendi, vti possint extra eorum loca? Negatiua sententia mihi arridet,arg text.in c. Abbates,de priuil.in 6. Vers. Alibi autem, &c.

BONA CONGREGATIONIS.

1 OCcupantes res,& bona ad nostram Congregationem pertinẽtia,quamuis Archiepiscopali,Episcopaliq;,aut alia inferiori dignitate fulgeant,excommunicationi latæ sententiæ subijciuntur, à qua extra mortis articulum,nisi à Papa absolui possunt. Non obstã-

tibus

tibus Priuilegijs concessis quibuscunque personis, etiam Regularibus in contrarium præmissorum. Paulus V. Congregationi Sanctæ Mariæ Fuliensi, Vt in Comp. Cler. Regul. p. 2.

ANIMADVERSIO.

NEcessaria est scientia præfati Priuilegij, vt contrauenientes tali excommunicatione ligentur. legatur Concil. Trid. sess. 22. cap. 11. Decret. de reformatione.

2 Inferentes autem iacturam aliquam, bonis Cōgregationis nostræ si intra trium dierum spacium, admoniti nō satisfecerint, incidunt itē ipso facto, in excommunicationem Papæ referuatam. Iulius II. Generali Augustinianorum 24. Septembris 1508. *Nihil est*, & infra; *Et quoniam omnia tui, tàm res, quàm personas immediatè, sub Apostolica Sede esse volumus. Idcirco mandamus omnibus Christi fidelibus, Vt nemo bona Ordinis nostri, vel occupare, vel vexare, audeat, quod tàm de personis prædictis, quàm de locis, Conuentibus, possessionibus, & alijs quibuscumq; rebus ad loca, personasvè pertinentibus, intelligi volumus, siue pecunia, siue immobilia ea sint, & si vel occupantes, vel vexantes à Fratribus suis moniti, non integrè, per tridui spatium omnia restituerint, aut vexare omnino destiterint, excommunicationis nodos incurrere, à qua absolui, nisi à Sede Apostolica, & in mortis articulo non possint; Irritum, cassum, & inane facientes quicquid contra hanc concessionem, siue à secularibus, siue ab Ecclesiasticis personis, vel in hunc vsq; diem, vel in posterum impetratum, vel attentatum fuerit; etiamsi ab Apostolica Sede, expressè contra hoc quicquid cōcessum fuerit; Quod omne nullius momenti, & pro infecto haberi volumus*; & infra, *non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus, &c.*

ANIMADVERSIO.

ÆQuum videtur esse, animaduertere cōcessionem Concil. Trid. sess. 25. de Regul. c. 3. qua indultum fuit quibuslibet Regularibus. (demptis Minoribus de Obseruātia, & Capuccinis) bona immobilia possidere; derogando omnibus constitutionibus, id prohibentibus.

Nec propterea Mendicantium nomen, & priuilegia vllo vnquam tempore amittere. Ex decreto Pij V. Const. *Romanus Pontifex, die 1. Octob.*

Octob. 1567. apud Rod. in Collect. Quod etiam comprobare videtur ex Dominico, & Franco idem Rod. Tom. 2. qq. regg. q. 78. art. 6.

Neque tenentur ex quæsitis Eleemosynis se sustentare; sed tutò viuere possunt ex largitionibus, siue oblationibus qualitercumq; obuenientibus. Azor. p. 1. lib. 12. c. 23. q. 9.

3 Omnia bona nobis donata, relicta, legataq; perpetuò Apostolica auctoritate nobis, eo ipso, applicantur. Paulus III. Societati Iesu, vt in Collect. Rod. 15. Kal. Nouembris 1549. *licet debitum*, infraque *num.* 26.

BVLLA CÆNÆ DOMINI.

1 LIcet verò quicumque audiunt cōfessiones, Bullam Cęnæ Domini apud se habere debeant; nihilominus satisfieri arbitramur tali obligationi, si in quolibet Monasterio Regularium transumptū dictæ Bullæ publicè seruetur, vt ab omnibus perspici possit; nihil enim refert quid de æquipollentibus fiat. l. fin. ff. de mandat. c. licet ex quadam, de testibus.

CALICES, ET CORPORALIA.

1 ET Clericis, & Conuersis nostris, Sacristiæ curam gerentibus, permissum est, reuerenter tangere Calices, corporalia, & purificatoria. Sixtus IV. Erem. August. Videatur Confett. priuil. 9. Sixti IV.

ANIMADVERSIO.

AD vsum huius priuilegij necessaria est licentia Prioris Monasterij.

Calices, & alia sacra prædicta à Laicis, etiam fęminis simpliciter tangi, non est mortale. Immò si absit contemptus, aut non est veniale, aut leuissimum Sotus in 4. d. 13. q. 2. art. 3. vers. *Sed circa hoc Queritur.* Vide Sanchez lib. 2. mor. c. 43. num. 26. Bonac. de leg. d. 3. q. 1. pun. 4. num. 13.

CA-

CANONICA PORTIO.

1 NOn obſtantibus Clem. Dudum de ſepult. ac cęteris quibuſcumq; in contrarium facientibus, nulli tenentur aliquid dare de ijs, quæ nobis offeruntur, aut relinquuntur, tàm de legatis, quã de teſtamẽto, ac etiam de funeralibus, oblationibus, & ſepulturis, aut alijs quoquo modo erogatis. Nicolaus V. Carmelitis, vt in Comp. Min. Tit. Canonica portio. nu. 5. & in Marimagno eiſdẽ à Sixto IV. conceſſo num. 17. 46. & 72. Idem Sixtus Eremit. Auguſtin. in eorum Marimagno, num. 40. 41. in Collect. Roderici.

Immunes etiam ſumus à ſolutione Decimæ, etiam Papalis, ac Portionis Canonicæ de rebus immobilibus annuiſq; redditibus. Nec ad huiuſmodi ſolutionem per Litteras Apoſtolicas compelli poſſumus, niſi eiuſmodi litteræ de noſtra Congregatione, & de indulto, expreſſam de verbo ad verbum mentionem fecerint. Paulus III. Soc. Ieſu, & Pius IV. à Greg. XIII. recenſiti in Conſtitutione, *Paſtoralis Officij*; *Die* 1. *Ian.* 1578. & infra, *exponi ſiquidem nobis nuper fecit, &c. quod licet aliàs fęl. rec. Paulus Papa III. Prædeceſſor noſter; volens dictam Societatem, &c. illiusq́; ſocios fauore proſequi gratiæ ſpecialis, inter alia eidem Societati, & Socijs, dicta auctoritate cõceßit, ac indulſit, vt de ijs, quæ in ornamentis, &c. necnon annuis cenſibus redimendis, ad quorum ſolutionem aliquæ domus, &c. forſan exiſtebant, & de domibus, & Collegijs eorumq́; prædijs, hortis, & alijs locis eiſdẽ Socijs, &c. conceßis, aut de ijs, quæ pro huiuſmodi rebus, &c. emendis per quaſcũq́; perſonas pro tempore legari, aut relinqui contingeret, & alijs bonis quibuſcunque per dictam Societatem poſſeßis, & obtentis, aliquam Decimam, etiam Papalem ſoluere, ſeù Canonicam portionem exhibire, aut ad præſtationem procurationum Legatorum dictæ Sedis, vel Nũtiorum ipſius, ſeu Ordinariorum locorum, aut exactionum Collectarũ, vel ſubſidiorum, ſeu prouiſionum quorumcunque minimè tenerentur; Nec ad id per litteras Sedis, vel Legatorum, ſeù Nuntiorum, aut diœceſanorum prædictorum cuiuſcumq́; tenoris forent, nullo vnquam tẽpore compelli poſſent, niſi ipſę litteræ Apoſtolicę plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto, & conceſsione huiuſmodi, & de eorum Ordine mentionem facerent, &c. Et ſucceßiuè pię mem. Pius Papa IV. etiam Prædeceſſor noſter, exemptionem, ac cum omnibus, & ſingulis in eis contentis Clauſulis, litteras ipſius Pauli Prædeceſſoris deſuper confectas, &c.*

ex certa scientia confirmauerit, approbauerit, & etiam plenariè innouauerit, ac pro potiori cautela Vniuersam Societatem prædictam, omniaq; & singula illius, &c. bona quæcumque à quibusuis Decimis, etiam Papalibus, prædialibus, personalibus, quartis, medietatibus, & alijs fructuum partibus, subsidijs, etiam Charitatiuis, & alijs Ordinarijs oneribus, etiam pro expeditione contra Infideles, defensione patriæ, ac alias quomodolibet, etiam ad Imperatorum, Regum, Ducum, & aliarum Principum instantiam pro tempore impositis etiam si in illorum impositione caueretur, quod nulla prorsus exceptio cuiquam aduersus illa suffragaretur, &c. Nihilominus quia in illis, nulla de constitutione rec. mem. Innocentij Papæ III. Similiter Prædecessoris nostri in Concilio Generali super Diuinis edita, quæ incipit; Nuper expressa, & specifica mētio facta, nec eis specialiter, & expressè derogatum fuit. Idem Præpositus dubitat, singulas litteras prædictas de subreptionis, seù nullitatis vitio notari, ac Societati, illiusq; domibus, &c. minus vtiles reddi, &c. Nos igitur, qui votiuum ipsius Societatis profectum Syncero paternæ Charitatis affectu libenter prosequimur, eidem Societati, illiusq; Domibus, &c. opportunè prouidere volentes, ipsum Præpositum, & singulares personas Societatis huiusmodi à quibusuis excommunicationis, &c. alijsq; Ecclesiasticis sententijs censuris, & pœnis, &c. ad effectum præsentium, &c. harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, necnon singularū literarum prædictarum veriores tenores, &c. pro sufficienter expressis habentes, ipsius Præpositi supplicationibus in hac parte inclinati, Volumus, ac Societati, illiusq; &c. personis prædictis eadem auctoritate concedimus, quòd singulæ Literæ prædictæ, cum exemptionibus, &c. ac inde secuta quæcumque valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, & eis quibus concessę existunt perpetuo suffragentur in omnibus & per omnia, perinde, ac si in illis de Constitutione Innocentij Prædecessoris, seù Concilij Generalis huiusmodi specifica, & expressa mentio facta, eique specialiter, & expressè derogatum fuisset, prout nos eidem Cōstitutioni ad effectum præmissorum, specialiter, & expressè, harum serie derogamus, decernentes itaq; in quibuscumque causis, &c. Iudicari, & definiri debere, irritum, & inane quicquid secus, &c. contigerit attentari; Non obstantibus, &c. ac Innocentij, prædecessoris nostri, seù Generalis Concilij huiusmodi, alijsq; Apostolicis, necnon in Prouincialibus, et Synodalibus Concilijs editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, &c. cęterisq; contrarijs quibuscumq; &c. Vt in Collect. Rod.

Hoc

Hoc idem concessum fuit à Sixto IV. Minoribus in Marimagno num. 34. & 43. apud Rod. & à Leone X. Camald. d. Bulla; *Et si à Summo,* in qua legimus. *Nec aliquid ex dicta &c. Congregationis, Monasterijs, Prioratibus, &c. Et locis prædictis, ad dandum seu soluendum aliquam Canonicam portionem, siuè Decimam, aut quid aliud, quòd eorum loco solui consueuerit, Archiepiscopis, Episcopis, Capitulis, &c. & alijs quibuscumq; personis de iure, vel consuetudine, aut statutis, &c. hactenus ab eis forsan debita, seu quæ deberi prætendentur quomodolibet in futurum, etiam de relictis legatis, & donatis, tàm in vltimis voluntatibus, quàm etiam inter viuos, seù aliàs quacumque occasione cõcessis, & concedendis quomodolibet teneantur; Ipsaq; Monasteria, Prioratus, &c. & personæ Congregationis eiusdem ab omni impositione, exactione, Collecta, Decima, charitatiuo subsidio, aut alio quocumque reali, aut personali, vel mixto onere, vel grauamine, quouis nomine censeantur, per nos, aut successores Nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes indictis. Necnon ab omnibus censibus, redditibus, & solutionibus, ratione visitationis, aut subiectionis, quocumq; iure quibuscumque Ordinarijs, Capitulis, &c. hactenus debitis, quæ per nos eidem Congregationi de Apostolicę potestatis plenitudine gratiosè remittimus, &c. sint, esseq; debeant, libera penitus, & exempta, atq; immunia: itaquod ad illorum præstationem, &c. per quoscumq; & quarumuis etiam Literarum Apostolicarum vigore, cogi, aut aliàs desuper inquietari nequeant; Nullusq; ab eisdem de quibuscumq; possessionibus vbilibet constitutis, quæ in præsenti sunt, vel in futurum erunt, Monasteriorum, Prioratuum bonorum, &c. Congregationis huiusmodi, quæ illius Prælati, Monachi, vel personæ colunt, seu coli faciunt, & in futurum colent, seù coli facient, ex hortis, virgultis, piscationibus, vel de nutrimentis animalium primitias, decimas, quartesia, aut quocumque nomine nuncupata, alia iura exigere, vel extorquere præsumat, Nec ipsi illa cuiquam soluere sint astricti.*

ANIMADVERSIO.

IVuat præ oculis habere declarationem Concilij Trid. circa Quartam portionem a Pio V. Const. Et si Mendicantium. Anno 1567. 17. Kal. Iunij in hæc verba factam. *Quartam autem funeralium, de qua sess. 25. cap. 13. nequaquam soluere teneantur Monasteria, quæ à quadraginta annis citra fundata existunt, postquam Conciliũ ipsum loqui-*

loquitur tantum de Monasterijs ante annos quadraginta fundatis, quę ipsam Quartam soluere consueuerunt, & vbi solui consueuit, id tãtùm cerę, & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferri contigerit, tempore quo defunctorum Corpora ad sepulturam deferuntur; Non autem de Missis, seu Legatis, vel alijs, Fratribus ipsis, seu Monialibus huiusmodi relictis, aut aliàs quomodolibet donatis solui debet. Sicq; intelligi Concilij Decretum, quoad quartam huiusmodi soluendam debere decernimus. Vbi verò non est consuetudo soluendi quartam huiusmodi, de nullo suprascriptorum solui debere declaramus. Nec ad quartam, seù aliã partem omnium eorum, quæ etiam pro ornamento Ecclesiæ, palliorum, planetarum, Cortinarum, pannorum, & aliorum, quæ dictis Ecclesijs relinqui, vel dari contigerit, etiam si pro victu Fratrum, aut aliàs relinquantur, aliquid contribuere teneantur. Vide Rod. Tom. 1. qq. regg. q. 39. art. 2. vers. secundò est aduertendum. Mir. p. 2. q. 48. art. 7. Crux lib. 2. c. 9. dub. 5. secunda concl. &c.

Et Decretum Congreg. Sacri Concil. Trid. quod tale est. *Illustrissimi, & Reuerendissimi DD. Fratrũ Minimorum S. Francisci de Paula Sacra Religio, à suis primordijs gaudet quodam Apostolico priuilegio, per fel. mem. Iulium II. Pontificem Maximum. Anno Domini 1506. Sui verò Pontificatus III. Beato Francisco de Paula, Patri, & Fundatori prædicti Ordinis, tunc in humanis agenti, & suæ Religioni benignè concesso, in quo indultum extitit. Monasteria, Domus, & Conuentus dicti Ordinis, tàm constructa olim, quam in futurum construenda, Nedùm Decimas ex Naualibus, Prædijs, Hortis, Verum etiam nullam Parochis Ecclesiarum, Quartam funeralium teneri, ac debere persoluere, vt in dicto priuilegio latius est videre, ad huius effectum huic Sacræ Congregationi præsentatum. Et quia licet hoc non obstante, aliquibus in locis, prædicti Ecclesiarum Parochi, & Rectores perperam forsan intelligẽtes Sacri Concil. Trid. sess. 25. cap. 13. Sensum, seù illum in eorum fauorem retorquentes, nituntur à prædictis Fratribus, huiusmodi funeraliũ portionem, seù quartam extorquere, quoties Cadauer aliquod apud ipsorũ Fratrum Monasteria sepeliri contingit, magnas pro ea Fratribus molestias inferrentes assidue. Ideo Frater Petrus à Mera Prouincialis Minister dictæ Religionis Minimorum Sancti Frãcisci de Paula in Castellæ Prouincia Illustrissimis, & Reuerendissimis DD. VV. humiliter supplicat, vt ad sedanda scandala, & euitandas lites, dignentur declarare, aut per dictum Sacrum Concilium Tridentinum huiusmodi priuilegio derogatum veniat, quoad solutionem prædictam, vel decreto ipsius Con-*

non

non obstante, debeat obseruari, & Fratres dicti Ordinis ab ea solutione immunes, & liberos censeri. Quas D.Opt.Max.

Congregatio Concilij censuit huiusmodi priuilegio ante quadraginta annos ante Concilium, vt proponitur, concesso, minimè derogatum esse eiusdem Concilij decretis.

Hieronymus Card. Matthęius.

Habetur, & alia declaratio in Quæstionum Regularium. Rod. l.c. Videlicet.

Congregatio Concilij, censuit non comprehendi Monasteria ædificata à quadraginta annis citrà, aut quæ in dies ædificantur, vel in futurum ædificabuntur; præsupposito, quod huiusmodi Monasteria sint eius Religionis, cui à Sede Apostolica indultum sit, vt quartam funeralem non debeant soluere Episcopo.

Antonius Card. Carafa.

Quas demum declarationes Paulus V. approbauit sua Cõstit. quæ incipit. *Decet Romanum Pontificem,* & infra. *Accepimus, quod Ordini B. & Gloriosæ semperq; V. M. de Monte Carmelo diuersi Romani Pontifices concesserunt illius Domos, seu Monasteria ante annos quadraginta ædificata, non teneri ad solutionem quartę funeralium. Idq; &c. à Cõc. Trident. de prædicato, & alijs Sacris Ordinibus decretum fuit. Cum autem quęreretur an eadem postea à quadraginta annis ædificata deberent dictam quartam soluere. Ven. Fratres nostri S. R. E. Card. Decretorum dicti Concil. Interpretes censuerunt Monasteria ædificata à quadraginta annis citra non teneri ad solutionem quartæ funeralium huiusmodi, si modo sint eius Religionis, cui à dicta Sede ante quadraginta annos indultum sit, vt eamdem quartam non teneantur soluere Episcopo. Quare, ne dicti Ordinis Carmelitani Monasteria, seu Domus in diuersis Mundi partibus à quadraginta annis ædificata indebitè cogantur soluere dictam quartam funeralium, eorumque idemnitati prospicere cupientes, ac tenores literarum concessionum huiusmodi forsan confectarum præsentibus pro expressis habentes Dilecti filij Procuratoris Generalis dicti Ordinis Carmelitarum illius nomine nobis porrectis supplicationibus adducti, volumus, mãdamus, decernimus, et declaramus, omnia, & singula huius Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo Monaste-*

nasteria; seu Domos in quibuscunq; Mundi partibus à quadraginta annis ædificata illorumq; Conuentus, & Fratres nullo modo, nullaue ratione teneri ad solutionem dictæ quartæ funeralium, & ob non solutionem huiusmodi aliquas sententias, Censuras, & pęnas incurrere posse. Inhibentes in virtute Sanctæ Obedientiæ omnibus, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Parocchialium Ecclesiarum Rectoribus, ac alijs quos id concernit, ne ab ipsis Fratribus Monasteriorum, seu Domorum à 40. annis ædificatarum dicti Ordinis Carmelitarum quartam funeralium huiusmodi quoquomodo exigere, aut eos desuper molestare audeant, seu præsumant; Quod si quis contradicere præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum eius nouerit se incursurum &c. Vt videre est in primo To. Priuil. Fratrum Minorum pag. 58.

2 Sixtus etiam V. in Constitutione. *Et si ex nostri Pastoralis officij die 20. Martij. 1586.* non solum à simili Solutione decimorum, iurium, Synodalium, Censuum, Canonicarum portionum, seu Charitatiui Subsidij, aut iucundi aduentus, seu quartæ, & aliorum Onerum, exemit Milites S. Ioannis Hierosolymitani; necnon eorum Subditos, Vassalos, Colonos, seruitores, ac alios in eorum obsequijs existentes; sed etiam ipsorum animalia, prædia, domos, molendina, & quæuis alia bona, &c. Vide fusius in dicta Bulla apud Rodericum.

ANIMADVERSIO.

NOn te lateat, nostræ Congregationis Fratres, iure communi exemptos esse à portione Canonica soluenda, de relictis pro Ecclesia construenda, aut pro Luminaribus, Ornamentis Ecclesiæ, vel pro alijs ad diuinum cultum attinentibus; iuxta cap. fin. de Test. Et quamuis ex Clem. Dudum. §. huiusmodi V. verum, de sepult. eliciatur, Prædicatores, & Minores non esse immunes ab huiusmodi solutione; Nil tamen obstare videtur, cum id sit ius singulare, correctorium, exorbitansq; quoad religiosos in d. Clem. minimè expressos extendi non debet; prout in proprijs terminis tradidit Io. And. in cap. constitutionem de Regul. in 6.

Quòd si dicatur, præfatam Clem. fuisse extensam ad Carmelitas, & Augustinianos per extrau. Ioan. 22. teste Io. And. in d. Clem. in apostillis, quæ ad verbum referuntur à Feder. de senis cons. 147. ad

certitudinem præsentium. Respondetur, id pro nobis, non contra nos stare. Si quidem cùm talis extento correptoria sit iuris communis, & ab eo exorbitans, non debet extendi ad alios, nisi ad expressos in eadem extensione; ad notata per Zabarellam in d. Clem. §. Verum; quæst. 8. & 9. & Ant. de Butrio, cons. 28. Ego Antonius de Butrio Consultus; scribentem, talem extensionem non esse trahendam ad Fratres Seruorum; sed habere locum tantùm in ea expressis. Sicq; Consultus respondit pro nobis Fabianus de Monte de Mectio Aduocatus Concistorialis. Originale huius Consilij habetur in Archiuio nostri Monasterij Sanctæ Mariæ Gratiarum, Vulgò à Victoria Veronæ.

CASVS RESERVATI.

1 QVi Casus in nostra Religione reseruari possint, disces ex Decreto Clem. VIII. edito Anno 1593. 26. Maij cuius summam, hic habes.

Sanctissimus Dominus noster, qui iampridem &c.

2 Superiores nostri ius habent reseruandi sibi præfatos casus, non tantum quoad professos, sed etiam quo ad Nouitios. Paulus V. Congr. S. Mariæ Fuliensi, Viuæ vocis oraculo facto Card. Bandino 17. Augusti 1609. vt habetur in eorum Comp. Tit. casuum reseruatio num. 4.

ANIMADVERSIO.

SI in nostra Congregatione, peccatum absq; censura reseruetur a pluribus superioribus subordinatis, vt à Priore, & Prouinciali, seu Generali; nulli dubium esse potest Prioris auctoritatem non sufficere ad auferendam reseruationem simpliciter, respectu Prouincialis; nec Prouincialis respectu Generalis. Nec hoc ipso, quod maior Prælatus sibi reseruauit peccatum extraxit illud à Iurisdictione Inferioris, secundum Suarez tom. 4. disp. 31. sect. 4. num. 25. & 26. Ablata verò reseruatione maioris prælati per absolutionem, auferri etiam reseruationem minoris; tradit Nauarrus in Manua. c. 27. num. 261. cum Suarez ibidem. secus tamen esset, si reseruatio Inferioris Prælati fieret cum censura.

Mortuo, vel amoto ab officio Priore, casuum reseruatio cessat.

Nihilo-

Nihilominus Vicarius Monasterij, à iure, absente Priore, ordinariam habens iurisdictionem, vt in ordine nostro, casus sibi reseruare poterit. Vide infra. V. Vicarius per totum.

Reseruationes verò per modum constitutionis, si quæ à capitulis Generalibus, seu Prouincialibus in bonum tùm religionis, tùm puritatis conscientiæ conseruandæ factæ fuerint, semper durant: Nam lex semper loquitur; l. Arriani. C. de Hæret.& Manich.

CAVSSÆ.

1 IN omnibus, & singulis nostris caussis, cum quauis persona, & corâm quolibet Iudice, summariè procedendum est, atq; de plano, sine strepitu, ac figura Iudicij, facti sola veritate inspecta; Idq; dummodo in obseruantia permaneamus. Nicolaus. V. Abbati, & Monasterio Sancti Pauli extra Vrbem Congr. Cassin. ex relatione Comp. Cler. Reg. p. 2.

ANIMADVERSIO.

PRo intelligentia præfati Priuilegij, sciendum est, quædam pertinere ad Iudicium tanquam essentialia; & quædam tanquam accidentalia ad eius solemnitatem; quando igitur concessit Pontifex, vt in omnibus nostris causis, Summariè atq; de plano procedatur, sine strepitu, & figura Iudicij, sola facti veritate inspecta. intelligitur concedere, vt prætermissa Iudicij solemnitate, essentialia tantummodo seruentur; etenim omnes illæ particulæ eò sunt referendæ, vt Iudicij essentialia seruanda explicent. Quemadmodum ex Panorm. Felino, Hostiensi, & alijs, optimè declarat Mansus, de modo procedendi in causis Regularium cap. 7. num. 3.

Quæ autem essentialia sint, aut accidentalia; exposita singularum vocum significatione, ita declarat. Nam particulæ simpliciter hæc vis subiecta est, vt amoueantur Calumniatores, & dolosæ protelationes, inanesq; exceptiones: Cardin. in Clem. Dispendiosam: nume. 42. de Iudic. De plano autem, ex Calderino in Clem. sæpe, de verb. signific. denotat exclusionem perniciosæ subtilitatis; maximè quoad testium numerum coarctandum, & eorumdem reprobationem. Summariè, hanc habet vim; vt quæ ad Iudicij vim, & naturam spectant, tantummodo exigantur, neque reis fas sit, testium

iuramentum videre; nec testium, vel Capitulorum exemplar, eisdem vllo modo tribuatur: Felin. in cap. Dilecti, de Iudice. Postremò, sola facti veritate inspecta, importat, vt omnis iuris pompa repellatur, absque tamen præiudicio Iuris gentium, ac naturalis. Florentinus p. 3. tit. 9. cap. 8. Abbas in cap. Qualiter, & quando, el 2. de Accusat.

CELEBRATIO DIVINORVM.

1 SVperioribus nostris inuitis, vetitum est, celebrare in Ecclesijs Ord. missas, aliauè Diuina officia. ab exteris Regularibus, siuè secularibus Præsbyteris, etiam pro defunctis sepultis, vel sepeliendis. Necnon Ordines conferre, & processiones conuocare. Sixtus. IV. Eremitis S. August. in Marimagno, apud Rodericum num. 3. hisce verbis; *Statuentes, vt nulli Religiosi, vel seculares Vobis inuitis, aliquorum corpora defunctorum, in vestris cameterijs sepelire, aut in Ecclesijs vestris Missarum solemnia, vel pro animabus eorum, qui ad loca Vestra tumulandi forent, ibidem exequias celebrare sine vestro consensu, & voluntate præsumant.*

Leo x. quoquè Camaldul. dicta Bulla. *Et si à summo*, vbi legibus; *seu quod in eorum Locis, Missæ, vel alia Diuina Officia celebrentur, ordines conferantur, vel agitentur causæ ciuiles, vel criminales; processiones conuocentur, aut Synodus, Conuentus, seu quæuis Congregationes tàm Ecclesiasticarum, quam laicarum personarum fiant.*

ANIMADVERSIO.

PEr lege Rodericum, quæstionum Regularium tom. 1. qq. 42. 45. Infraq; V. Sepultura, vbi quædam, his consentanea reperies.

COMMVNICARE.

1 QVolibet anni tempore, vno Resurrectionis die, & mortis articulo, nisi necessitas cogat, exceptis; possumus quibusuis Christi fidelibus dare communionem absq; licentia Parochi. Paulus. III. Soc. Iesu in d. Bulla, *licet debitum*, vbi num. 31. legimus, *Nec non omnibus, & Singulis Christi fidelibus tàm forensibus, quam in Ciuitatibus, & Locis, in quibus socij prædicti consistunt, commu-*

commorantibus, aut illac transeuntibus, Eucharistiæ Sacramentum; (quod in suis Eccleciijs decenter tenere, socios præfatos volumus) quocunque anni tempore, præterquam in festo Paschatis Resurrectionis Dominicæ, & mortis articulo, nisi necessitas vrgeret, eorundem fidelium parochialium Ecclesiarum, Rectorum licentia minimè requisita accipere liberè, & licitè valeant.

Tali priuilegio gaudent etiam Mendicantes omnes, ex speciali concessione Pij. V. *Et si Mendicantium ordines* 17. *Kal. Iul.* 1567. In qua *hæc leguntur; Ipsiq; Christi fideles, Sacramentum Eucharistiæ (Resurrectionis Dominicæ festiuitate dumtaxat excepta) summerè, eisque illud per Fratres huiusmodi administrari valeat; nec ad aliud faciendum per locorum, aut Ecclesiarum Rectores præfatos, seu alios quoscunque (illorum licentia minimè requisita) etiam sub censuris Ecclesiasticis, & alijs pœnis cogi, vel compelli possint, seu debeant, etiam decernimus, & declaramus.*

ANIMADVERSIO.

ASsertum Pij V. priuilegium, non censetur reuocatum, per reductionem illius Bullæ ad terminos iuris, & Concil. Triden. à Greg. XIII. factam; propterea quod non aduersatur dicto Concilio. Capucc. in suis Annot. ad Tit. communicare.

2 Permittitur Sacerdotibus nostris, dummodo idonei existant; Euchariſtiam ministrare omnibus vtriusque sexus, tàm in proprijs, quàm in alienis Ecclesijs Paulus IV. & Pius V. Clericis Regul. *Ad immarcescibilem Vitæ æternæ. Id. Februarij.* 1567. Vt ex Comp. Cherubini, sub Pio V. Bulla 31. & eorum Compendio, par. 1. eod. tit. §. 2.

ANIMADVERSIO.

CVm in generali concessione insolita non veniant, nisi specialis eorum mentio fiat. Cap. fin. de Offic. Vic. in 6. præfatum priuilegium interpretandum est, excepto die Resurrectionis.

Qui per octo dies ante, vel post Pascha communicat, præcepto Ecclesiæ satisfacit. ex declaratione Eug. IV. huius qui sequitur tenoris.

Dilecto filio Fratri Iacobo de Primaticiis de Bononia Ordinis Minorum de Obseruantia regulari.

Eugenius Papa IV. Dilecte fili salutem, & Apostolicam benedictionem. Fide digna relgione percepimus, in Ciuitate Licij non paruam per hac tempora excitatam fuisse commotionem de die debita perceptionis Sacratissimi Corporis Domini nostri Iesu Christi, & per aliquos religiosos esse affirmatum, quod non communicantes actualiter in die Resurrectionis Dominica, mortaliter peccarent etiam si in die Iouis Sancti, quibuscunque diebus infra annum pluries, frequentatis vicibus communicassent, quod pijs auribus est audire molestum.

Recolimus, alias per quodam nostrum Breue scripsisse Ven. Fratri nostro Episcopo Litiensi, quod intelligebamus satisfactum esse, si paulò antè, vel paulò post diem Resurrectionis communicet. Mirati sumus, quod postmodum noua controuersia reuixerit, sed inimicus homo super seminauit Zizaniam.

Nos igitur cupientes purgatum triticum in honore Domini congregare, & inutilibus contentionibus finem dare, attendentes, iuxta doctrinam Beati Augustini, quòd solent circunstantia scripturarum illuminare substantiam veritatis, & non solum adiacentia, sed etiam pracedentia, & subsequentia verba sunt consideranda prudenter. Cum dicat Canon. Ecclesia, omnis vtriusq; sexus fidelis, saltem semel in Anno confiteatur, & infra, suscipiens ad minus in Pascha Eucharistia Sacramentum, & sequitur, nisi de proprij Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum, dicimus expressè non intentionis legislatoris fuisse, animas illaqueare fidelium sub culpa mortali, ad communicandum pracisè in die Resurrectionis Dominica, sed terminum statuisse ad Pascham. Cùm dicit semel in anno, & infra, ad minus in Pascha, nisi, &c. Mens enim magis, quam verborum sonus est attendenda discretè.

Intelligimus itaq; Optimo iure satisfactum cum Canone, nisi in hebdomada sancta, vel infra Octauam Pascha Resurrectionis Dominica secundum meliorem dispositionem conscientia, & ampliorem mentis deuotionem fidei, ex praparatione debita, Sanctum Eucharistia pignus accipiant, & cum Domino Pascha celebrent ad salutem; & huic sententię omnes volumus acquiescere. Quare deuotioni tua committimus, vt prędicta (vbi oportere intelligas) populis nota facias. Datum Romę apud Sanctum Petrum, sub anulo nostro Secreto. Die Octauo Iulij 1446. Pontificatus nostri Anno decimo. Vt in lib. Priuil. Fratrum Minorum, pag. 139.

Possumus

Possumus etiam ipso Die Paschatis ministrare Eucharistiam, cum licentia Parochi, vel absque ea, si communicaturus alio die satisfaciat Parochiæ. iuxta Suarez. tom. 3. disp. 72. sect. 2. col. 7. vers. *Censeo igitur*. Et Sà. V. Eucharistia. num. 10. Contra Nauarrum, & alios. Suarez sequitur Rodericus in qq. regg. tom. 1. quæst. 56. artic. 3. Quamuis alij probabiliter oppositum sustineant.

Si verò quæras, integrum ne sit nostris, vigore præfatorum priuilegiorum, dare communionem, die Resurrectionis, Vagis, Aduenis, & Peregrinis, qui eo in loco nullam habitationis parochiam contraxerunt: propterea quod, nec habitarunt, nec habitandi animum habent maiori anni parte? In ea sumus opinione, vt arbitremur id licitum esse: iuribus à Sanchez allatis, de Matrim. lib. 3. disp. 23. num. 17. & 18. Vbi pluribus doctè, & eruditè id probat, diluendo obiectiones huic doctrinæ factas; ad quem lectorem relegamus.

3 Conceditur nostri Ordinis Sacerdotibus Communionem, etiam pro Viatico, & extremæ Vnctionis Sacramentum, in articulo mortis constitutis ministrare tàm Clericis, quàm Conuersis Ordinis nostri. Idem quoq; præstare valent famulis, mercenarijs, operarijs, & seruis dicti Ordinis. Nec non omnibus hospitibus, etiam secularibus, & exteris, quos in domibus, & habitationibus nostris, tunc temporis commorari euenerit: Idq; in articulo mortis. Ac etiam quando de illo dubium occurrerit, absq; obtenta, vel petita Licentia Diœcesanorum Locorum, & Sacerdotum Curatorum, aut aliorum quorumcunq;, etiam in quorum Ciuitatibus, Diœcesibus, ac Ecclesiarum parochijs respectiuè Ecclesiæ, & Loca nostri ordinis nunc, & pro tempore extiterint.

Licèt autem daretur spatium petendæ licentiæ; tamen ob repentinam necessitatem, prædicta Sacramenta à nostris ministrari possunt cæteris, etiam quibuslibet ægrotis, in articulo mortis vbilibet constitutis, vrgente præfatæ necessitatis casu; nulla etiam ad hoc petita, aut nobis concessa licentia. Pius IV. Clericis Regul. & Pius V. id Febr. vt supra num. 2.

ANIMADVERSIO.

QVod ad seruos seculares infra septa mensæ Congr. residentes pertinet; vide infra V. Familiares, in Animad. post nu. 1.

Deficiente Parocho, & vrgente necessitate, omnes Religiosos

Sacerdotes posse Communicare Infirmos in mortis articulo absq; Parochi licentia, & priuilegio. tradunt Suarez l. c. vers. sed quæres. Rod regg.qq.tom.1.quæst.56.art.5.& Miranda Man. Prælat. to.1. quæst.42.art.3. cæteros referentes.

Vrgens erit necessitas duobus concurrentibus; Primum vt ad sit probabile mortis periculum. Alterum, requiritur absentia Parochi, vel si præsens sit, vt renuat, aut nequeat Viaticum præbere infirmo. Suarez To 4.de Relig. Tract.10. lib.9.cap.3.nu.15.

4 Præsbyteri de licentia nostri Prælati, siuè Sacristæ in nostris Ecclesijs Sanctissimam Eucharistiam ministrare valent. Iulius II. Minimis V. Kal. Aug. 1506. *Dudum ad Sacrum ordinem*, & infra, *Et quod Fratres Minimi in eorum Ecclesijs constructis, & construendis, Curialibus, Mercatoribus, Peregrinis, ac Transeuntibus, & alijs quibusuis Eucharistiæ Sacramentum quoties opus fuerit ministrare, ac ministrari facere &c.*

COMMVNICATIO PRIVILEGIORVM.

1 MOnialibus, quæ sub obedientia nostri Ordinis viuunt, communicantur omnia priuilegia nostræ Congr. tàm Concessa, quàm Concedenda. Ex Concessione Bonif. VIII. Fratribus Minoribus, in Collect. Rod. V. Nonas Iulij, Pont. sui, Anno secundo, *Quasdam Literas*, & infra, *Cupientes tamen eorum vtilitatibus, sic vestro ministerio prouideri, ne Sanctæ Contemplationis, etiam occursu occupationum multiplicium valeat impediri, præsentium auctoritate statuimus, vt dictæ Moniales, vel aliæ, si quas vobis, sub quacumque forma committi contigerit, Apostolicæ Sedis Indulgentia concessa, vel concedenda in posterum non obstare, nisi expressam fecerit de præsentibus mentionem, hoc solum à Vobis Commissionis nostræ beneficio consequitur, Videlicet sub Magisterio, ac doctrina vestra, & eorum, quæ pro tempore Ministri fuerint debeant permanere, illis gaudentes priuilegijs, quæ vestro ordini sunt Concessa; vel in posterum concedentur, &c.* Et patet in Comp. eorund. priuileg. tit. eod. §. *6.*

2 Communicatis nobis priuilegijs aliorum Ordinum, censentur etiam communicata Viuæ vocis oracula ab eis impetrata Iul. II. Augustin. Vide supra in Notab. III. & infra V. oracula Viuæ vocis.

ANI-

ANIMADVERSIO.

MEndicantium ordines, non solum in omnibus Indultis, & gratijs tàm ordini, quàm suis Ecclesijs, & Locis à Summis Pontificibus concessis, & concedendis inuicem communicant. Verum etiam in priuilegijs non Mendicantium, quatenus tamen eorum professioni congruunt, perinde ac si cuilibet eorum ordini nominatim, directè, & expresse de verbo ad verbum concessa fuissent; Virtute Constitutionum Leonis X. *Dudum per nos, &c. die* 10. *Decembris* 1519. apud Mirandam p. 1. q. 21. artic. 1. & Confect. Bulla 18. Clementis VII. *Dum fructus vberes, &c. die* 30. *Maij*. 1525. apud eundem Confect. Vide supra Notab. 12. Pij V. *Etsi Mendicantium, &c.* 17. *Kal. Iulij*. 1567. sub num. fin. apud Collect. Rod. Vide eundem in qq. regg. to. 1. quæst. 55. art. 1. & Mirand. Manual. Prælat. to. 2. quæst. 46 art. 1. 3. & 5.

Priuilegiorum quoq; Societatis Iesu communicationem habent, licèt ante institutionem huius Societatis, Leo X. & Clemens Septimus supradictam Communicationem Ordinibus Mendicantibus cõcesserint. Nam Pontifices Successores Mendicantium priuilegia approbantes, & innouantes, quando iam Ordo Societatis erat fundatus, præfatam Clementis VII. Communicationem ad dictæ societatis Priuilegia extenderunt. Sic præ cæteris Greg. XIV. Bulla; *Romanus Pontifex*, de qua supra Notab. 2. mentionem fecimus, determinauit Ordinem Cisterciensium frui posse priuilegijs Societatis; dum ei priuilegiorum omnium Ordinum communicationem concedit. Immo Congregationi Clericorum Ministrantium Infirmis in spetie, & expresse concessit, Vt priuilegijs Societatis Iesu fruerentur. Vide qq. regg. Rod. to. 1. q. 55. art. 17. Capucc. in Annot. ad V. Communicatio priuilegiorum, & Mirand. l. c.

Etiamsi in illis caueatur, ne priuilegia huiusmodi alijs religionibus Communicentur. Gregorius enim XIV. non solum absolutè absq; vlla limitatione, sed etiam addita Speciali, & expressa derogatione clausulæ Communicationis prohibitiuæ, (quod animaduertere poterat Rodericus l. c.) omnia priuilegia etiam præfatæ Societatis Cisterciensibus communicauit. Vide præfatam Bullam l. c. Et Suarez consentanea his afferentem, lib 8. de leg. cap. 17. num. 8.

Quibus omnibus, & singulis priuilegijs, immunitatibus, libertatibus

tibus Indultis, dispensationibus, exemptionibus, fauoribus, & gratijs, tàm spiritualibus, quàm temporalibus gaudet congregatio nostra æquè principaliter, eodem modo, & forma, quibus cæteri Ordines Mendicantes vtuntur, potiuntur, & gaudent; ac vti, potiri, & gaudere quomodolibet poterunt in futurum. Ex benignitate, & speciali priuilegio Pij V. Motu proprio, & ex certa scientia nobis concesso; *Religionis Zelus, &c. sub die* 30. *Martij* 1571. vt sæpè dictum fuit. Vide supra Notab.fin.

Neque pro vsu talium priuilegiorum requiritur, vt à nostris Prælatis nobis Communicentur, prout patet ex supradicta absoluta Concessione Gregorij XIV. Ex Rod. l. c. Suarez l.c. num. 6. Vide supra Notab.9.

Possumusq; illis vti, ac frui in omnibus, & per omnia, etiam si illi quibus principaliter concessa fuerunt, illa perderent, seù illis non vterentur. Suarez l.c. cap. 16. num. 17. Vide supra Notab. 10.

Notandum Insuper, In Communicatione priuilegiorum concessorum, & concedendorum, etiam illorum Confirmationem, & innouationem comprehendi; quoniam cùm sit quædam gratia à Sede Apostolica, etiam ad fauorem vnius Ordinis emanans, cæteris quoq; ordinibus concessa, & ad illos, & eorum quemlibet extensa pariter intelligitur; itaut confirmatis priuilegijs vnius Ordinis, etiam pro omnibus alijs quibus communicantur, confirmata, & innouata statim censentur. Suarez l.c.cap. 19.num.8.9.& 10 Confett.De Communione priuilegiorum.cap.5.vide supra Notab. 5.

Quæ quidem priuilegiorum communicatio, sic est intelligenda, Vt concessa Priori Generali, vel Prouinciali, aut Conuentuali, ac alijs quouis nomine nuncupatis Superioribus, Fratribus, Monialibus, & Festiuitatibus vnius, Ordinis, etiam omnibus cæterarum Religionum, similibus Prælatis, Fratribus, Monialibus, & festiuitatibus concessa existant; iuxta declarationem Sixti IV. in Marimagno Prædicat. & Iulij II. Bulla, *Carissimi in Christo filij. &c. Die prima Iunij* 1509. edita, apud Collect. Rod.

Postremò notandum, per priuilegiorum Communicationem non concedi restrictiones, & limitationes quæ alijs Ordinibus, propter eorum particulare regimen à Sede Apostolica fuerunt impetratæ. Sed solum fieri communicationem eorum, quæ sunt ipsis religiosis fauorabilia (& si secularibus ex altera parte onerosa,) non autem eorum, quæ sunt illis odiosa; Cùm priuilegia odiosa, & alia pęnalia nequa-

nequaquam contineantur in communicatione priuilegiorum. Vnde nulla fiet Communicatio censurarum, seù inhibitionum. Rod. qq. regg. l.c. Vide etiam Suarez l.c. cap. 17. nu. 5. 6.

3 Annuente Generali, possunt Priores nostri communicare singulis Congregationis nostræ professis, gratias à Generalibus sibi communicatas. Iulius III. Soc. Iesu, Vt in p. p. Com. Cler. Regg. eod. tit.

ANIMADVERSIO.

AN gratiæ ab vno Prælato alicui concesse semper durent. Vide infra V. ordinis in Animad. post nu. 1.

4 Facultas absoluendi exteros communicabilis est Nouitio Sacerdoti; iuxta doctrinam Henriquez lib. 7. de Indulg. cap. 22. num. 7. allegantis Comp. priuil. Soc. Iesu V. Communicatio §. 5. Felician. de Censuris. tit. de priuil. cap. 15. 16. & 19. Mandos. de priuil. ad instar, Glos. 2. in fin. Et Glos. 7. num. 36. & additio: num. 32. & aliorum.

ANIMADVERSIO.

EX speciali capituli nostri Generalis dispositione, anno 1623. celebrati, Nouitius Sacerdos arcetur ab audiendis confessionibus.

5 Congregationem nostram ingressi, gaudet participatione omnium ieiuniorum, ac specialium bonorum, operumq; quorumcunq; tàm in Religionibus, quàm extra vbiq; factorum. Iulius III. Confraternitati Charitatis de Vrbe, & Hospit. Santi Spiritus in Saxia. Vt in Annot. Capucc. ad Comp. Min. eod. tit.

6 Prior noster Generalis habet ius eligendi septuaginta Viros, qui simul cum proprijs vxoribus frui, & gaudere valeant in singulo nostri Ordinis Monasterio, quibuslibet Indulgentijs, & remissionibus, etiam plenarijs nobis concessis, ac etiam concedendis, perinde ac si Ordinem nostrum professi fuissent. Nec non si vnus eorum obierit, alius eius loco eligere poterit, qui eisdem Indulgentijs, remissionibusq; fruatur, & gaudeat. Ex indulto Fratribus Mendic. Sancti Patris Hieronymi Congregationis Fesulanæ per Sixtum IV. concesso 23. Maij. 1473. relatoq; in Comp. priuil. eorumdem, fol. 31. ac in Comp. Cler. Reg. p. 2. §. 1. eod. tit.

COM-

COMMVTATIO.

1 Conceditur Confessarijs nostri Ordinis facultas commutandi quælibet Vota, (castitatis Religionis, Vltramarinis, Sanctorum Petri, & Pauli de Vrbe, & Sancti Iacobi in Compostella exceptis) Eug. IV. Monachis Sancti Benedicti, Vt in Collect. Rod. Bulla XI. Paulus III. Soc. Iesu. Vide supra V. Absolutio quoad seculares, num. 1. & Sanch. lib. 4. moral. cap. 54. per totum.

2 Prædicta facultate vti possumus in Votis etiam iuratis; modò absq; alterius præiudicio fiat commutatio. Greg. XIII. Soc. Iesu, die 3. Maij 1575. *Decet Romanum Pontif.* videatur Sanchez lib. 4. moral. l. c. num. 3.

ANIMADVERSIO.

An virtute horum priuilegiorum, Commutari per nos possit temporale Votum castitatis, puta ad biennium. Votum arctioris religionis ad laxiorem. Necnon pœnalia Castitatis, & Religionis Vota, nondum impleta conditione, ac etiam post illam impletam? Abundè disputatur à Sanchez tom. 3. de Matr. lib. 8. disp. 15. à num. 4. ad finem; & disp. 16. per totum. Et disp. 34. nu. 28. 29.

3 Simplicia Vota ingrediendi religionem determinatam, etiam arctissimam, commutari possunt à Prioribus nostris in Vota ingrediendi nostram Religionē; ea tamē lege, Vt si voto obstrictus recedat à Religione ante professionem, irrita sit commutatio. Eug. IV. Congregationi Sancti Benedicti, Vt in Collect. Rod. Pridie Kal. Iulij. 1436. *Et si quaslibet, &c.* sub num. 8. & 9. & in Comp. Min. tit. Disp. §. 28. & tit. Votum in Annotat. Capucc. vers. Licet Prioribus nostris. Leo X. Camald. *Et si à Summo,* vbi legitur; *Ac personas volentes eidem Congregationi sociari, etiamsi religiosum locum, vel Ordinem alium quemcumque arctiorem ingredi voluissent; tali Voto non obstante, ad probationem, professionemq; recipere, & eos, dicta auctoritate, ab ipso Voto absoluere, & cum ipsis, dummodo in tali Religione, vel Ordine, quem nouissent, professionem non emiserint, & ante professionem emissam ab ipsa Congregatione non recedant, super omnibus Votis (Religionis Voto duntaxat excepto) dispensare; ac omnibus quocunque excommunicationis vinculo innodatis, Congregationem huiusmodi,*

di, Altissimo famulaturis, ingredi volentibus, iniunctis eis, iuxta eorum facultatem, restitutione, & pænitentia salutari, tanquam vni ex Monachis Congregat. huiusmodi absolutionis beneficium impendere, eosq; etiam ad probationem recipere; Ita tamen quod si inde ante professionis emissionem discesserint, in eandem, ipso facto incidant.

ANIMADVERSIO.

PRæfatorum priuilegiorum etiam mentio habetur apud Sanchez lib. 4. moral. cap. 43. num. 19. Pro quorum intelligentia scire iuuat; ad commutanda huiusmodi Vota, vigore assertorum priuilegiorum, non exigi Confessionem; sed posse extra Confessionem fieri; iuribus ab eodem Sanchez adductis, lib. 4. moral. cap. 54. nu. 16. cui ad stipulantur Henriquez lib. 7 de Indulg. cap. 30. num. 6. Suarez de Voto lib. 6. cap. 16. num. 4. Bonaccina, de leg. disp. 4. quæst. 2. pu. 7. §. 3. & alij ab ipso relati. Scimus tamen contrariam sententiam plerisq; probari, quæ quidem sua non caret probabilitate.

4 Quicquid locis nostris ad aliquem vsum; legatum, seù à Viuentibus donatum est, in alium vsum commutari potest à Prioribus Ordinis nostri, remoto illorum scandalo, qui talia legata soluere tenentur. Prior autem Generalis, ac etiam Prouincialis, gaudent facultate transferendi vni ex nostris locis, relicta ad alium locum, nullo periculo scandali interueniente Leo X. Ordini Minorum, in Oraculis num. 68. prout testatur D. Cardinalis Sanctorum Quatuor Coronatorum Anno 1517. die 7. Aprilis. Et ex eorum Comp. Tit. Elecemosyna, §. 15.

ANIMADVERSIO.

NEqueunt tamen superiores nostri ad libitum absque iusta causa hanc commutationem facere præsertim si fuerit res immobilis fructum reddens; vel mobilis prętiosa, licet accedat Conuentualis Capituli consensus, esset enim quædam alienationis species omnino prohibita in Decreto Vrbani VIII. iussu edito &c. Vide supra V. alienatio.

Quænam sit iusta causa in his commutationibus faciendis. Vide Beiam 4. p. casu 22.

Plura etiam circa huiusmodi materiam leguntur apud Rod. to. 1.

Regg.

Regg. qq. q. 27. artic. 5. Et tom. 2. quæst. 125. artic. 9. ad quem lectorem relego.

CONCILIVM TRIDENTINVM.

QVæ pro Regularibus in Conc. Trid. Sancita sunt, exactè colliguntur à Confettio in Summario Priuil. tit. 2. per totum, ab Azorio, & Quaranta. Vide infra V. exemptio in Animad. post nu. 4.

ANIMADVERSIO.

REcepta est. DD. plurimorum sententia, per nullam generalem clausulam reuocatoriam, censeri derogatum Concilio generali, nisi de eo specialis mentio fiat, his verbis: Non obstante aliqua lege, aut constitutione in Concilio generali edita. Id quod elicitur, ex Cap. ex parte, & cap. fin. de Capellis Monach. & Cap. Nonnulli de Rescript. Idque Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 26. nu. 7. alijs recensitis, tradit, generalem derogationem Decretorum cuiuscumq; Concilij non sufficere; immo si Concilium generale modernum fuerit, cuiusmodi est Tridentinum, opus esse illius etiam mentionem facere.

Hoc tamen Bonacinæ de leg. d. 1. q. 3. pu. 8. §. 3. num. 13. non placet, limitatq; primò, nisi secus constet de voluntate concedentis, quę ex petitionis forma intelligi potest, iuxta Glos. in cap. inter dilectos, §. cæterum, de fide instru.

Secundò limitat, nisi priuilegium esset inutile; cùm enim præsumatur Pontificem non ignorare decreta Conc. idcirco existimandũ est, derogationem genericam pro specifica, & expressa aliquando satis habere. Vt in simili optimè docuit Sanchez de Matr. lib. 8. d. 35. num. 17. Vide supra V. Absolutio quoad seculares in Animad. post num. 8.

CONFESSARIVS.

1 DE consensu Prioris Generalis, aut aliorum ab eo ad id designatorum, indultum est Sacerdotibus Ordinis nostri ad excipiendas secularium Confessiones ritè expositis, quamuis nullo literarum gradu insigniti sint, aperire literas scilicet pęnitentiariæ, quæ Sacrę Theologiæ Magistris, & Canonum Doctoribus destinantur.

tur. Et poſtquam pęnitentium confeſſiones exceperint, pęnitentiamq; in literis expreſſam, vel de iure imponendam iniunxerint, poterunt in interiori animæ iudicio quaſcumque oretenus, aut ſcripto commiſſas, abſolutiones, diſpenſationes, pęnitentiarumq; impoſitiones excipere, ac exequi, Gregor. XIII. Soc. Ieſu 3. Aprilis 1582. Vt in Collect. Rod. *Exponi nobis feciſti*, & infra; *Nos idcirco, tuis in hac parte, ſupplicationibus inclinati, praesbyteris Societatis huiuſmodi per te, vel tibi ſubordinatos illius Superiores de tua licentia deſignandis, & ab Ordinariȷ́s locorum approbatis, vel approbandis, etiamſi Magiſterȷ́, vel Doctoratus, aut alȷ́s gradibus inſigniti non ſint, literas huiuſmodi aperiendi, confeßionibuſq; fidelium ad ipſos recurrentium auditis, & impoſita ſalutari in illis expreſſa, vel de iure infligenda pęnitentia, abſoluendi, ac in foro conſcientiæ quaſcumque ſibi verbo, vel ſcriptis commiſſas abſolutiones, diſpenſationes, & pęnitentiarum iniunctiones excipiendi, exequendi, & limitandi facultatem tenore præſentium, concedimus, & impartimur.*

ANIMADVERSIO.

NOtandum eſt cum Rod. to. 1. Regg. qq. q. 63. artic. 8. ad conſequendam talem facultatem aperiendi literas, deſignari quoſlibet Superiores aliàs approbatos ſecundum hanc conceſſionem. Et quoſlibet Confeſſarios ad id ab eiſdem deputatos. Quæ ſanè deſignatio à Patre Generali facienda erit, vt noſtri Confeſſarij præfata facultate valeant gaudere; Nam neglecta huiuſmodi deſignatione, incapaces erunt talis facultatis; irritumq;, & inane erit quicquid ab ipſis circa hoc fuerit attentatum, ob defectum poteſtatis.

CONFIRMATIO PRIVILEGIORVM.

1 QVælibet noſtri Ordinis priuilegia Confirmata exiſtunt à Paulo III. quatenus ſint in vſu. Vt ſupra in Notab. viſum eſt. A' Pio V. (ſecluſa omni limitatione, & clauſula) Kal. Aprilis, 1565. Denuoq; quatenus Concil. Trident. & regulari obſeruantiæ non aduerſantur, 3. Martij 1571. Idem præſtitit Gregor. XIII. 25. Maij. 1579. dummodo ſint in vſu, & ſacris Canonibus non contrarientur.

ANI-

ANIMADVERSIO.

CVm in Confirmationibus Priuilegiorum, vt plurimum inserantur clausulæ (quatenus sint in vsu, & Sacris Canonibus non contrarientur.) Non te fugiat, pro eorundem dilucidatione, primum priuilegia, quæ conceduntur Ecclesiæ, seu alicui Communitati, qualia sunt priuilegia, quæ Regularibus conceduntur, non amitti per non vsum, aut per vsum contrarium, nisi talis non vsus, seù vsus contrarius Committatur præscriptione sexaginta annorum; prout ex communi DD. traditione, pluribus comprobat Miranda tom. 2. Manual. Prælat. q. 42. art. 4. post Confettium, in summario priuil. tit. 3. cap. 3. Vide supra Notab. 12. Immo opus erit centenaria præscriptione; iuxta priuilegium Eug. IV. Cassinensibus Romæ concessum 7. Kal. Iulij 1442. in Collect. Rod. Quod incipit; *Ex Apostolicæ Sedis prouisione, &c.* sub nu. 15. & illud citat Io. Cruz. opusc. de statu Religionis, lib. 2. cap. 3. dub. & concl. 2.

De centenaria præscript. Vide Confettium tit. 12. Rod. in qq. regg. to. 1. quæst. 9. art. 4. & to. 3. quæst. 35. art. 2. & infra V. Priuilegia, in Animaduers. post nu. 7.

Quoties verò in confirmatione Priuil. inseritur clausula. (Dummodo Sacris Canonibus, & Decretis Conc. Triden. non aduersentur;) Non est intelligenda de Canonibus in corpore iuris contentis; sed de Canonibus Conc. Trid. secundum traditionem Capuccini in Annot. ad Comp. priuil. Ord. Min. Tit. Priuilegia Fratrum, 5. est etiam aduertendum, quem vide.

CONSERVATORES.

1 OMissis omnibus priuilegijs pro conseruatoribus eligendis; quæ à Gregorio XV. reuocata fuere in Constitutione de Conseruatoribus, 20 Septembris 1621. operepretium videtur, afferre ipsam Constitutionem statuentem modum, & formam eligendi huiusmodi Conseruatores.

Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus Noster D. GREGORIVS. diuina prouidentia Papa XV. ex certis rationabilibus causis animum suum mouentibus; & de voto Venerabilium. Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, partim fel. record.

Clemen-

Clementis Papæ Octaui Prædecessoris sui vestigiÿ inhærendo, reuocauit, ac nullas, & inualidas decreuit omnes, & quascunque Iudicum Conseruatorum electiones, nominationes, seù deputationes, tàm in vim literarum conseruatoriarum, iuxta formam in quinterno Cancellariæ descriptam, quam in vim quorumcumque priuilegiorum perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum Apostolica auctoritate concessorum, seù aliàs quocumque iure, vel titulo hactenus factas pro quibuscumque Conuentibus, Capitulis, Militÿs, etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, Congregationibus, Collegÿs, Ordinibus, Monasterÿs, Hospitalibus, aut alÿs quibusuis pÿs, tàm secularibus, quàm cuiusuis Ordinis, etiam Mendicantium, seu Instituti, vel societatis regularibus locis quantumuis exemptis, etiam de necessitate exprimendis, seu illorum personis cuiusuis qualitatis, seu conditionis existant. In futurum verò sanctitas sua hac generali, & perpetuò valitura constitutione statuit, & decreuit, Vt Iudices Conseruatores huiusmodi, siuè principales, siuè subrogati, eligi nominari, aut deputari non possint, nisi non solum habeant qualitates requisitas, & descriptas in Constitutione similis rec. Bonifaciÿ Papæ Octaui etiam Prædecessoris sui, quæ incipit, statutum; itaut vel dignitate Ecclesiastica præditi, vel personatum obtinentes, vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant; sed etiam in Concilÿs prouincialibus, aut Diœcesanis, iuxta Decretum Conciliÿ prædicti, Iudices electi, seu designati sint. Quodque deinceps literæ conseruatoriæ per Sedem Apostolicam concedendæ suprascriptis tantùm dirigantur, & si quæ literæ aliter expedientur, illæ, ac deputationes huiusmodi, omniaq; exindè sequenda, nullius sint roboris, vel momenti; Et nihilominus qui secùs, quàm iuxtà formam superius præscriptam Conseruatores huiusmodi cum effectu eligere, nominare, seù deputare, aut electis, nominatis, seu deputatis vti ausi fuerint, Regulares quidem voce actiua, & passiua sint ipso iure priuati, adeò, vt habilitationem à nemine, præterquam à Romano Pontifice consequi valeant; reliqui verò alÿs pœnis arbitrio Sanctitatis Suæ coerceantur, & prædictorum omnium, Conuentus, Monasteria, ac loca huiusmodi, eorumq; personæ, ac bona careant conseruatore ad annum, itaut illorum causæ interea coram locorum Ordinarÿs dũtaxat cognosci, ac diffiniri debeant; Cæterum, vt latius pateat Conseruatorum huiusmodi deligendorum facultas, sanctitas sua admonitos voluit omnes locorum Ordinarios, vt in Synodis Prouincialibus, aut Diocesanis quamplures personas ex habentibus qualitates in prędicta constitu-

stitu-

stitutione eiusdem Bonifacij prædecessoris contentas, & alioquin ad id aptas designari procurent; Et si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in eius locum vsq; ad futuram prouincialem, aut Dœcesanam synodum. Insuper sanctitas sua inherendo hac in parte Decreto similis recordationis Gregorij Papæ XIII. etiam Prædessoris sui statuit, & ordinauit, vt regulares, ac personæ huiusmodi in Italia infra duos, extra Italiam verò infra sex menses à die publicationis in Vrbe præsentis Constitutionis inchoandos debeant sibi eligere, seu assumere conseruatores iuxta formam superius propositam, eiusq; electionis, seù assumptionis documentum, infra tempus huiusmodi penes Acta Curiæ Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur; alioquin eo termino elapso, quamdiù Conseruatores secundùm formam præsentis Constitutionis non elegerint, coram eisdem Ordinarijs conueniatur quodque Conseruatores huiusmodi semel legitimè deputati, nisi ex legitima causa à Sede Apostolica, aut locorum Ordinarijs, prout ijsdem Regularibus & alijs supradictis libuerit, approbanda, durante quinquennio à die deputationis, amoueri, aut mutari nullatenus possint, aut valeant. Ad hæc sanctitas sua, vt coràm ipsis Conseruatoribus regulares, ac personæ supra scriptæ conueniri quidem, aut trahi debeant, sed alios conuenire, aut trahere non possint, itaut memorati Conseruatores in causis, in quibus regulares, & alij actores fuerint, nullam prorsus iurisdictionem habeant; sed in ijs tantùm, in quibus rei extiterint; neque extra Ciuitates, seu Diœceses, in quibus fuerint deputati, contra quoscumque procedere præsumant. Si qua verò inter Iudices Conseruatores huiusmodi, & Locorum Ordinarios controuersia super competentia Iurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per Arbitros in forma Iuris electos super iurisdictionis competentia fuerit Iudicatum. Quod si qui Conseruatores, siuè in hac parte, siuè aliàs quomodolibet suos limites excesserint, per annum ab officio Conseruatoris huiusmodi suspensi sint, & pars, quæ hoc fieri procurauerit, sententiam excommunicationis incurrat iuxta formam alterius Constitutionis eiusdem Bonifacij Prædecessoris, quæ incipit, Hac Constitutione, quam sanctitas sua in his omnibus, quæ præsenti Constitutioni non aduersantur innouauit, & innouat. Per hoc tamen non intendit Sanctitas sua prohibere, quominus regulares, & alij supradicti in casibus à iure permissis petant Iudicem non suspectum à Principibus, seù Magistratibus secularibus, dum tamen hæc tria copulatiuè concurrant.

Videlicet;

*Videlicet; Vt Regulares, & alij prædicti sint actores, non autem rei-
vtq; agant contra laicum, non autem contra Ecclesiasticum, vel aliàs
à Iurisdictione seculari exemptum, atq; vt causa, in qua iudex depu-
tatur, fuerit prophana, non autem Ecclesiastica, & in ea iuxta Sacro-
rum Canonum dispositionem laicus, vt præfertur, eligendus, iudex
competens existat. Quæ omnia, & singula in præsenti Constitutione
contenta Sanctitas sua voluit inuiolabiliter obseruari, decernens sic in
ijs, cæterisq; omnibus præmissis, per quoscumq; &c. etiam Sacri Pala-
tij Apostolici Auditores; Necnon Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales,
sublata &c. iudicari, &c. necnon irritum, & inane &c. Non obstan-
tibus, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac litteris con-
seruatorijs, quas omnes ad formam præsentis Constitutionis reduxit;
in fauorem quorumcumq; Ordinum, tàm Mendicantium quàm non
Mendicantium, Militiarum, etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani,
Congregationum, Societatum, aut cuiusuis alterius instituti, etiam
necessariò exprimendi, Collegiorum, Capitulorum, Ecclesiarum, Mo-
nasteriorum, ac piorum quorumcumq; tàm secularium, quàm Regula-
rium Locorum, necnon illorum etiam iuramento confirmatione Apo-
stolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudini-
bus, etiam immemorabilibus, priuilegijs quoq; etiam ex causa, & ti-
tulo oneroso, indultis, & Litteris Apostolicis, etiam Marimagno, seù
Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscunque tenoribus, &
formis ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq;
efficatioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, etiam motu
proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut
aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seù extensionis
concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamsi pro illo-
rum sufficienti derogatione de illis, eorumq; tenoribus, & formis spe-
cialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas
generales idem importantes, mentio, seù quauis alia expreßio haben-
da, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmo-
di, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tra-
dita obseruata inserti forent, præsentibus pro expressis habens; quibus
quoad ea, quæ præsentibus aduersantur, illis aliàs in suo robore per-
mansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogauit, cete-
risq; contrarijs quibuscumq;. Cæterum, vt præsens Constitutio fa-
cilius omnibus innotescat, sanctitas sua, voluit, & mandauit, vt non
solum in Cancellaria Apostolica, sed etiam ad valuas Basilicæ Princi-*

 pis

pis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ publicetur, illiusq; exempla in ijsdem locis affixa dimittantur, ac in Quinterno Cancellariæ inter Constitutiones perpetuas describatur, & annotetur.

Placet publicetur, & describatur A.

2 Conseruatores antedicto modo electi tenentur acceptare, & exequi officium sub pęna excommunicationis latæ sententiæ, absolutione Pontifici reseruata Pius V. Ord. Prædic. 23. Septembris 1571. *Ad hoc nos Deus*, & infra, *Ita quod vos, seù alij quicumque sic electi sub excommunicationis, seù suspensionis latæ sententiæ pęna huiusmodi, quam statim, quod munus, siuè officium Conseruatoris huiusmodi acceptare, & debitè, ac plenariè exequi neglexeritis, & neglexerint, absq; alterius declarationis ministerio; incurrere volumus, nec ab aliquo quàm à nobis, & pro tempore existente Romano Pontefice (præterquam in mortis articulo) absolui posse &c.* apud Confettium.

ANIMADVERSIO.

QVod sanè priuilegium, cùm Concilio Trident. non aduersetur, minimè censetur reuocatum à Greg. XIII. Constitutione. In tanta negotiorum mole.

Multa ad officium, & Potestatem Conseruatoris spectantia reperies apud Confettium, in sum. Priuil. tit. 4.

CONSTITVTIONES.

1 CApitulum nostrum Generale gaudet facultate concedendi constitutiones, quæ iustæ sint, & rationabiles, ac Diuino iuri, sanctorumq; Patrum institutionibus consentaneæ; Et tunc Apostolica auctoritate censentur, eo ipso approbatæ, & confirmatæ Eug. IV. Congregationi nostræ Eremitarum Sancti Hieronymi B. Petri Pisarum 13. Kal. Augusti 1440. Const. *super gregem Dominicum*, infraq;. *Et quod in Congregatione, vel capitulo huiusmodi pro Locorum, & domorum prædictorum, & in charitate Christi status ipsorum Conseruatione; Necnon pro obseruantia huiusmodi Vitæ statuta, & ordinationes necessaria, vtilia & Deo grata; quæ tamen iusta, rationabilia, ac iuri Diuino, & Sanctorum Patrum institutionibus consona sint, faciendi, & ordinandi, &c.*

Idipsum comprobatum fuit à Nicolao V. 3. Kal. Aprilis, 1453. & Sixto IV. Kal. Februarij 1476.

Quic-

Quicquid verò ab vno Generali capitulo,actum, atq; à duobus ſequentibus item Capitulis generalibus receptum, & confirmatum, ac in viridi poſitum eſt obſeruantia, vim conſtitutionis, habet, iuxta cap.fin.noſtrarum conſtitutionum.

ANIMADVERSIO.

STatuta regularium confirmantur à Papa, quatenus ſunt licita, & honeſta; & non contra ius commune, nec contra ſacros Canones. Nauar.conſ.26.nu.10.de Regul.

Nullus enim inferior Papa ſtatuere poteſt contra ius commune Canonicum cap.Inſtitutionis 25.quæſt.2.traditq;Nauar. d.conſ.26. num.4.de Regul.auctoritate textus in cap. Quod ſuper ijs, de Maior. & obed. Niſi hoc ei ſpeciali priuilegio ſit conceſſum. Ex eod.Nauar. conſ.3.num.1.de elect.

Ab hac autem doctrina non recedunt Panor.in cap.fin. num.7.de offic.legat.& Azorius p.2.lib.5.cap.32. ſub dub. 2. ſcribentes. Neq; Epiſcopos, neque Apoſtolicæ ſedis legatos poſſe quidpiam ſtatuere contra ius commune ex toto,vel ex parte:Cum enim non poſſint turbare,vel impedire priuilegium à Papa alicuiconceſſum; arg.cap. Venerabilem.Ibiq; Panor.num.3.de elect. Et in cap. cum in Veteri, nu. 1.de elect. Multo minus derogare poterunt iuri communi, quod difficilius tollitur, quàm priuilegium. Sicut etiam difficilius inducitur, l.eius militis, §. militia, ff. de milit. teſtam. Auth.de reb. alienis non alienandis, §. ſed quia.

Hinc fit, quod ſtatuta inferiorum, ſecundum ius commune interpretari debent Felinus in cap.Paſtoralis, §. Præterea, num.3.de offic. Ordin.Romanus conſ. 144. nu. 3 Et ex Theologis, Suarez de cenſ. diſp.7.ſect.3.num. 22. adeò quod, vt Correctio iuris communis euitetur,ſtrictiſſimè ſunt interpretanda Panor.in cap.cùm dilectus,num. 5.de conſuet. Ang. V.ſtatutum,num.14.Sylueſter,eod.V.nu.3.

CORRECTIO.

1 QVifquis ex noſtra Congregatione delictum aliquod commiſerit, iuris ordine poſt habito, corrigi,ac puniri poterit à Superioribus Ordinis, iuxta præſcriptum noſtrarum Conſt itutionū, vigore priuilegiorum Eug. IV. Nicolai V. Sixti IV. prænotatorum.

Neq; ab huiusmodi correctione debitè, ac maturè inflicta appellare vllo modo poterit Bonif. VIII. Minoribus 2. Id Noueb. an. 1. sui Pontificatus; *Ad augmentum continuũ,* & infra; *Nos Vestris supplicationibus inclinati vobis auctoritate Apostolica indulgemus, vt ad correctiones, & punitiones fratrum eiusdem Ordinis delinquẽtium infligẽdas, Prælati ordinis supradicti, ad quos eadem spectare noscantur, rimulis, & apicibus ipsis post positis, liberè procedere valeant secundum consuetudines approbatas, & generalia facta, & etiam facienda ipsius Ordinis instituta; Nec volumus eisdem liberè fratribus ab eisdem Correctionibus, & punitionibus aliquatenus appellare preuia in hoc deliberatione, ac maturitate debita obseruatis*. in Collect. Rod. Et Bonif. IX. Prædic. V. Kal. Maij. Pontificatus sui Anno XIII. *Sacræ religionis,* & infra; *Quodq; nullus ex fratribus, aut sororibus prædictis, aliquem, aut aliquam ex fratribus, aut sororibus huiusmodi coràm quocumque Iudice, qui non sit de dicto ordine, ex quacumque causa conuenire, seù facere conueniri, nec à Correctione quacumque, seù aliàs ab aliquo Prælato, seù fratre dicti Ordinis quauis occasione appellare, aut contra eos querelam proponere; nisi prius coram prouinciali, seù Conuentuali Priore, seù prædicto Magistro, & successiuè in generali Capitulo dicti Ordinis causam, & querelam suam proposuerit verbo, vel scriptis &c.* In Collect. Conf. & in Comp. Minorum Tit. Correctio fratrum, §. 6. & 8.

ANIMADVERSIO.

PRohibetur appellatio ad Prælatos extra ordinem nostrum, Nam intra Ordinem licitum est appellare. De huiusmodi materia. Vide supra V. Appellatio.

2 Indultum est Priori nostro Generali, in grauioribus delictis, re ipsa id exigente, delinquentes torquere, adhibito moderamine Nic. V. Minoribus, vt in Collect. Rod. an. 1554. *Et si cunctorum,* & infra, *& nihilominus ne eisdem fratribus delinquendi tacitè concedi videatur humanitas, aut occasio malignandi, Ministro Generali dicti Ordinis pro tempore existenti, concedimus, quod omnes, & singulos fratres, siuè in Monasterijs Monialium, siuè in alijs domibus, Conuentibus, Eremitorijs, & locis dicti Ordinis commorantes, etiam ab obedientia, Visitatione, & Correctione dicti Ministri per specialia Sedis Apostolicæ indulta se exemptos esse, præter regulam dicti Ordinis, fortè prætendentes*

dentes, non obstantibus quibuscunq; priuilegijs, exemptionibus, & indultis, & literis Apostolicis, eis eorumq; Monasterijs, siue Domibus, Conuentibus, locis præfatis, & Eremitorijs per nos, vel Sedem Apostolicam, in genere, vel in specie concessis de quibus in literis nostris habenda mentio specialis; iuxta constitutiones, & regularia instituta antiqua dicti Ordinis Corrigere, visitare, punire, & emendare, ac in criminibus grauioribus, si res ipsa exegerit, cum moderatione tamen, torturæ subijcere possit, & valeat auctoritate Apostolica, tenore præsentium licentiam concedimus, ac pariter facultatem constitutionibus Apostolicis, ac dicti Ordinis Iuramento, confirmatione, confirmatione Apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, cæterisq; contrarijs non obstantibus quibuscumq;. Et in suo Comp. tit. eod. §. 12. qua de re vide sopra; V. Appellatio.

3 Correctionis gratia Superiores nostrorum Monasteriorum per se, aut per alium ex nostris fratribus, possunt percutere suos subditos, absq; præiudicio cap. Vniuersitatis, de sentent. excommunicationis Leo. X. Min. Viuæ vocis oraculo, prout testatur D. Cardinalis Sanctorum Quattuor Coronatorum, apud Rod. in Collect. num. 67. & in eorum Comp. tit. Correctio Fratrum, §. 17. Vide Nauar. cons. 28. de sent. excommunicationis Molinam de Iust. Tract. 3. disp. 51. nu. 5. Quæst. regg. Roderici, to. 2. quæst. 50.

Eug. IV. concessionem fecit Conuentui de Gualdalupo Sanctissimi Patris Hieronymi Hispan. Vt Prior Conuentualis eiusdem Monasterij, aut in eius absentia, Vicarius dicti Monasterij licitè possint verberare, & corrigere fratres ipsius Monasterij professos, & non professos etiam in sacris ordinibus constitutos, præsentes, & futuros, per se, aut per alios eiusdem Monasterij fratres, tàm clericos, quàm conuersos, pro culpis non tantum grauibus, sed etiam leuibus, Comp. cler. Reg. p. 1. tit. eod. §. 3. Consule Rod. qq. regg. to. 2. q. 20. art. 8.

4 Tàm capitulum generale, quàm Prior Generalis cum consilio Patrum Seniorum nostræ Congr. facultatem habent perpetuò Carceri mancipandi; Necnon ad triremes, ad tempus, vel perpetuò deputandi omnes delinquentes ordinis nostri; Idq; in Casibus, in quibus iure communi morte puniendi essent. Inobedientes verò, contumaces, seù incorrigibiles, ipsamet habitus priuatione punire, & castigare possunt. Pius V. Ordini S. Patris Hieronymi an. 1566. & 1567. Vt Annot, Capucc ad Comp. Min. Tit. eijcere, vide infra eod. tit. de tortura dictnm est supra nu. 2.

ANIMADVERSIO.

NOn te fugiat, consilium de quo loquitur priuilegium; non ad necessitatem, sed ad vtilitatem tantum requiri. Proinde poterit Prior Generalis, seù Capitulum generale absq; consilio Patrum seniorum delinquentes corrigere modo supradicto; per ea quæ affert Rod.regg.qq.to. 1.quæst.30.art. 17.

Neminem autem habitu priuare, & à Religione eijcere, nisi ob incorrigibilitatem: iuxta S. Congregationis Decretum de Apostatis, supra V. Apostata relatum.

Regularis conuictus, & post monitionem incorrigibilis apparens, damnari potest per Prælatum ad triremes, aut ad carcerem perpetuum, vt iure, & consuetudine constat. Sed cauendum est, ne in carcere præ squalore, & humiditate loci, reus nimis infirmetur, & breui moriatur; aliàs Prælatus fit irregularis, cùm fit causa acceleratæ mortis. Ita Henriquez de excommunicatione, & interdicto lib. 13. cap. 56. in fi. ex quibus consequenter deducitur: Prælatos regulares posse verberare suos subditos, etiam per laicos; ad notata etiam per Nau. Com.3.de Regul.num.52. Auilam de cens. p.2.cap.5.disp.3.dub.12. vers. Quartò sequitur Bonacinam de Cens.disp.2. quæst.4.pun.2.nu. 5. Et Petrum Nauar. de Rest.lib.2.cap.3.num.471.in fin.

DECIMÆ.

1 QVo ad Decimarum exemptionem videre poteris. V. Canonica Portio. & V. exemptio. Et Henriquez de Indulg. lib. 7. cap. 27. Plura de Decimis quatenus proposito nostro inseruiunt, habes apud Azorium p. 1.inst.moral.lib.7.à cap.34. vsq; ad 37. & apud Alexandrum Monetam, opusc. de Decimis.

DECLARARE.

1 EMergentibus dubijs super Priuilegijs, & gratijs ordini nostro concessis, ad conscientias nostras serenandas, Rector noster Generalis cum aliqua persona in dignitate Ecclesiastica constituta, adhibitis etiam duobus iuris peritis, ius habet talia dubia interpretandi, cuius interpretationi tuta conscientia stare possumus. Idque

vigore

vigore priuil. Innoc. VIII. Ord. Prædic. Congr. Hispan. prout habetur ex literis. D. Card. SS. Cosmę, & Damiani 28. Feb. 1489. in orac. d. Innoc. num. 1. Et refertur in Comp. Min. Tit. Priuilegia, nu. 13.

2 Iulius verò secundus, die 14. Decembris. 1509. apud Cõfettium, absolutè indulsit, vt idem Generalis Ord. Prædic. per se solus dubia circa priuilegia, & alias huiusmodi gratias, & exemptiones à Sede Apostolica concessas, & concedendas occurrentia, auctoritate Apostolica declarare possit.

3 Ampliorem facultatem concessit Sixtus Quartus Canon. Regul. Later. Const. *Dum ad vniuersos.* 10. *Kal. Septembr.* 1477. in hæc verba. *Vt autem mentes dd. Canonicorum à dubijs, quæ super præsentibus, aut alijs gratijs huiusmodi per nos, & Prædecessores nostros, Imperatores, Reges, Principes, & alios prædictos, concessis, & in posterum concedendis; apud præfatos Canonicos quomodolibet oriri possent, releuentur. Volumus, vt vbi in aliquo redderentur ancipites, seù dubij, secundum bonam æquitatem in fauorem salutis animarum, largissimè intelligantur, & interpretentur; non autem secundum iuris rigorem, vel Doctorum opiniones, & subtilitates.* Vt in eorum Comp. fol. 361.

ANIMADVERSIO.

QVæ hactenus dicta sunt, intelligi debent de declaratione Iuridica, quę solum spectat ad concedẽtem priuilegia, & habet eamdem vim, quam ipsa priuilegia. Non autem de declaratione doctrinali, quamquilibet Doctor, Iura Iuribus concordando, facere potest Rod. qq. regg. tom. 1. q. 11. art. 5.

Declaratio dubiorum, quæ circa Constitutiones Ordinis nostri oriri possent, specialiter reseruatur toto Capitulo nostro generali prout videre est in cap. vltimo nostrarum constitutionum. quibus in hac re standum est.

4 Ad solum capitulum generale spectat auctoritas declarandi, quicquid dubij oriri solet circa Diuini officij celebrationem Leo. X. Min. Viuæ vocis oraculo; vt testantur litteræ Laurentij Cardinalis SS. Quattuor Coronatorum, apud Rod. in Collect. num. 18. Et in eorum Comp. eod. tit. §. 3. & tit. officium Diuinum primò, §. 11.

ANI-

ANIMADVERSIO.

DVmmodo talis declaratio, non aduersetur constitutionibus Pij V.& Clem. VIII. in vestibulo Breuiarij Romani relatis.

5 In arbitrio Rectoris Generalis positum est, declarare, quænam res viles, aut parui valoris reputandæ sint, vt intra, vel extra Ordinem nostrum dari valeant Leo. X. Min. eod. oraculo, num. 17. Et in eorum Comp. tit. Dare, §. 2.

ANIMADVERSIO.

NVnc autem præmanibus habenda est constitutio Clem. VIII. de largitione munerum.

DISPENSATIO.

1. REspectu irregularitatis, liberum est Rectori nostro Generali, dispensare in foro conscientiæ, in quauis irregularitate à fratribus contracta. Ac etiam in casibus Pontifici reseruatis; nempè homicidio, membrorum mutilatione, Enormiq; sanguinis effusione; modo hæc tria notoria non sint. Iulius secundus Prædic. Vt in Comp. Min. tit. eod. Annot. Capucc. ex priuil. Congr. S. Bernardi, vers. potest Prior Generalis.

2 Super irregularitate contracta ex homicidio voluntario ante ingressum Religionis; Rector noster Generalis dispensare potest in interiori foro; dummodo dispensatus in nostra Congregatione permaneat. Pius V. Cassinensibus, cum clausula non obstantibus quibusuis Apostolicis, Prouincialibus, ac Synodalibus Concilijs 1571. Id. Ianu. Vt in Com. Cherubini. Et in p. 1. Comp. cler. Regg. eod. tit. §. 2.

3 Confessarij nostri Ordinis, si annuente superiore, fratrum nostrorum confessiones audiant, tali forma vti possunt in absoluendo; Videlicet, post misereatur, &c. Indulgentiam &c. Dominus Noster Iesus Christus te absoluat, Et ego auctoritate ipsius, ac Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli mihi concessa, absoluo te ab omni vinculo excommunicationis maioris, vel minoris; suspensionis, & interdicti. Et dispenso tecum, in omni irregularitate, quam quomodocumque incurristi; & restituo te Sanctis Sacramentis Ecclesiæ,

vnioniq;

vnioniq; , & participationi fidelium; In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen Clem. VII. ac Pius V. Cler. Regg. Vt in eorum Comp. p. 1. Tit. Dispensatio. §. 4.

4 Non solum Rector noster Generalis, & Prouinciales, sed etiam Priores Conuentuales, & eorum loca tenentes, habent auctoritatem dispensandi cum suis subditis super quauis irregularitate quomodocunq; orta, ea excepta, quæ ex homicidio voluntario, vel membrorum mutilatione, necnon ex bigamia proueniret. Sicq; dispensati ad sacros, & Præsbyteratus Ordines promoueri poterunt Sixtus IV. Prædic. & Mino. in eorum Marimagno sub nu. 42. 49. & Paulus III. Soc. Iesu in Bulla *licèt debitum* nu. 29.

5 Possunt itidem Superiores nostri, cum fratribus, qui ante legitimam ætatem Sacros Ordines susceperunt, dispensare, tàm vt in susceptis ordinibus ministrent, quam vt ad superiores promoueantur, in illisq; liberè, ac licitè ministrare valeant, absoluendo illos ab omni supensione Sixtus Quartus Oliuetanis, Vt in Comp. cler. Regg. Idemq; Pontifex similem fecit concessionem Reuerendissimo nostro Generali, Tertio decimo Kal. Oct. 1473. constitutione *Pia vota fidelium*, & infra, *Et quod Generalis Prior dictæ Societatis pro tempore existens cum eisdem Eremitis per saltum, aut ante ætatem legitimam, seu extra tempora à iure permissa ad quoscumque etiam Sacros, & Præsbyteratus Ordines promotis, ac ex quauis alia causa, præterquam super bigamiæ, & homicidij voluntarij, aut mutilationis membri irregularitatibus, vt præmissis non obstantibus, ad omnes etiam sacros, & Præsbyteratus Ordines promoueri, & in illis, ac per eos etiam, vt præfertur, malè susceptis, aut omissis ordinibus, vt illos à quocunque maluerit catholico Antistitæ gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ, habente suscipere, & in Altaris Ministerio ministrare liberè, & licitè possint, licentiam dare, omnemq; inhabilitatis, & infamiæ maculam, siuè notam quomodocunq;, & qualitercunq; per eos, & quemlibet eorum contractam abolere, ipsique Eremitæ de eiusdem Prioris licentia à quo maluerint Catholico Antistite gratiam, & communionem dictæ Sedis habente, se etiam ad omnes sacros ordines facere, etiam extra tempora à iure statuta promoueri, ipseq; Antistes illos eisdem Eremitis impendere liberè, & licitè valeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus. Non obstantibus constitutionibus Apostolicis, cæteris contrarijs quibuscunq;.*

ANI-

ANIMADVERSIO.

SVpradictum priuilegium non censetur abolitum per constitutionem Sixti V. *Sanctum, & salutare* &c. contra clericos malè promotos; Quia iam reuocata fuit per Clem. VIII. Constitutione, *Romanum Pontif. decet &c.*

6 Quicquid potest Episcopus in clericos, & laicos sibi subditos quoad facultatem dispensandi super irregularitatibus, iuxta Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. de Reform. idem omnino per se possunt superiores nostri ordinis in Religiosos sibi subditos, ex vi concessionis Pij V. Superius V. Absolutio quo ad Fratres, num. 3. relatæ. Vide infra V. Prior in Animad. post num. 1. in fin.

ANIMADVERSIO.

MOdò irregularitates ex delicto occulto proueniant, atq; ea excepta, quæ oritur ex homicidio voluntario; & alijs ad forum contentiosum deductis.

Neque huiusmodi exceptio nobis officit, solum enim procedit respectu illorum casuum, qui in eodem Decreto conceduntur. Non respectu illorum, qui per supradicta alia priuilegia concessi sunt: Cùm in dicto Conc. l. c. nulla facta sit priuilegiorum abrogatio, & reuocatio Miran. p. 2. q. 8. art. 10.

7 Potest Rector noster Generalis per se, aut per alios pro tempore à se electos, rehabilitare illos, qui sibi subiecti sunt; Si ante, vel post ingressum Religionis vllam inhabilitatis, seù infamiæ maculam contraxerint. Atque super inhabilitatis absterssione, & infamiæ macula, cum illis dispensare Greg. XIV. Cler. Ministr. infirmis. Vide supra. V. Absolutio quo ad FF. nu. 1. Et infra. V. Prior.

8 Priores quoq; locorum nostrorum, de licentia ipsius P. Generalis, auctoritatē habent dispensandi cum omnibus, qui ordinem nostrum sunt professi, super defectum natalium ex adulterio incestuoso, & quouis alio nefario, & illicito coitu prouenientе. Vt defectu huiusmodi non obstante, ad quoscumq; etiam sacros, & Præsbyteratus ordines promoueri, & in illis etiam in altaris ministerio ministrare. Et ad quæcumque officia administrationes, seù dignitates, nostræ Congregationis elici, admitti, & assumi; illasq; gerere, & exercere, liberè, & licitè valeant. Et c. Greg. XIV. l. c.

Eadem

Eadem facultate potiuntur absolutè, independenterq; ijdem Priores nostrorum Monasteriorum; ex Marimagno à Sixto IV. Præd.& Min.concesso. Vide sopra nu.4. Et Comp. Minorum tit.eodem §.13. De Vicarijs ibidem,& infra V. Vicarius.

De dispensatione Nouitiorum. Vide infra V. Nouitius.

ANIMADVERSIO.

NOn obstat præfatis concessionibus Const. Sixti V. *cum de omnibus*, contra illegitimos, quæ à Greg. XIV. Constitutione, *Circunspecta Romani Pontificis*, moderata fuit, & ad terminos iuris communis redacta, cum expressa prohibitione de non dispensando cum illegitimis, nisi à Generali, vel Prouinciali; cum Generali, Prouinciali, seù intermedio capitulo; ac eorum habita ratione meritorum, & non aliter. Et de non admittendis illegitimis in Religione, in qua Pater, seù ante, seù post filij natiuitatem, professionem emisserit, Patre ipso superstite. Vide præfatam Bullam Greg. XIV. apud Quaran. V. Monasteria,& Conuentus. Et Comp. Min. Tit. eod. in annot. Capucc.

Quoniam verò à diuersis non fit illatio l. Papinianus, ff. de Minoribus, meritò sequitur illegitimum ingredientem aliquam Religionem non censeri idoneum officijs, & dignitatibus eiusdem Religionis, nisi cum eo specialiter super hoc dispensetur, vt probat Glos. in cap.fin.de filijs præsbyterorum; quamuis per huiusmodi ingressum, facta professione, habilis fiat ad ordines absq; dispensatione suscipiendos. Sic Syl. V. irregularitas, q.28. §. secundò tollitur Nau. in Man. cap.27.num.201. Suarez de cens.d.50. sect.5. §. Tertius modus Auila eod.p.7.d.3.dub.6. §. Quintò Sanchez, op. mor. lib.5.cap.5.num.12. & alij.

Tametsi vulgò dici soleat, scienter facientem id vbi opus est dispensatione, censeri dispensare si potest; Vt tradit Sà. V. Dispensatio, num.8. Non tamen hinc iuuat inferre, si Regularis illegitimè natus, promotus ad dignitates suæ Religionis ab habente facultatem dispensandi super eiusmodi impedimento, censeri cum ipso dispensatum; Quoniam solus Princeps vti potest tacita dispensatione, quæ iuri communi aduersatur. Inferiores verò Prælati expressa vti debent, atq; ita scribunt Panor. in cap. cum in cunctis, §. inferiora nu.8. de elect. cap. innotuit num. 8. eod. tit. cap. At si Clerici §. De adult. num.12.

num. 12. de Iudicijs. Et cap. Diuersis fallacijs, num. 3. de Cler. Coniug. Syl. V. Dispensatio: §. 21. quæst. 15. Nau. conf. 1. num. 4. Qui filij sint legitimi Azor. p. 1. lib. 5. cap. 15. quæst. vlt. & p. 2. lib. 7. cap. 33. q. 2. & 3. Petrus Rebuffus, prax. benef. tit. de dispensat. super defectu Natal. num. 9. post Glos. in cap. literas, §. Vacare noscatur, de concess. præb.

Secundum etiam; dispensationem, cùm in odium iuris sit, strictè interpretandam esse iuribus à Nauarro allatis conf. 5. num. 2. de obseru. Ieiun. proinde illegitimus dispensatus quo ad dignitatem inferiorem, non censebitur dispensatus quo ad maiorem, nisi de vtraq; in dispensatione fiat mentio. Auctore Panor. in præfato cap. Innotuit. num. 4.

Quapropter si quis illegitimè natus, licèt occultus, dignitatem, omissa dispensatione, acceperit; mortalem culpam contrahet sub obligatione dignitatem relinquendi, cum nulla sit receptio; censeturq; ipso iure suspensus Nau. in Manu. cap. 25. num. 117. Miran. p. 2. q. 2. art. 6. & alij.

Quod si ad dignitates suæ religionis fuerit dispensatus, ab eadem religione recedens, pro obtinendis dignitatibus secularibus, noua dispensatione indigebit: Idem quoque dicendum est, si aliam religionem ingressus fuerit, Rod. to. 1. qq. regg. q. 13. art. 10.

Dispensatus verò ad dignitates seculares, religioso habitu suscepto, non poterit vti huiusmodi dispensatione quo ad dignitates regulares: Sed specialis dispensatio pro ijsdem necessaria erit. Rod. l. c.

Quando dicitur illegitimos regulares ex dispensatione suorum superiorum, assumi posse ad officia; hoc debet intelligi de officijs, quibus annexa esse potest iurisdictio ordinaria; Eiusmodi videtur esse Officium Vicarij, cui in ordine nostro competit ordinaria iurisdictio, mortuo, absente, vel ammoto ab officio Priore. Non videntur tamen incapaces tales illegitimi iurisdictionis delegatæ. Vnde creari poterunt Vicarij Prioris absentis. Quod procedit dūmodo ista delegata iurisdictio non sit Superior iurisdictione ordinaria: cuiusmodi censetur iurisdictio Vicarij Generalis, seù Prouincialis, qui omnes Priores iurisdictione præcedunt. Vide Sylue. V. Prælatus, num. 2. & 3. Rod. qq. regg. tom. 1. quæst. 13. art. 10.

Moniales verò illegitimæ ad Prælaturas sui Ordinis Mendicantis, ab ipsarum Generalibus, vel Prouincialibus absque Generali, seù Prouinciali, aut intermedio capitulo promoueri possunt. Non

enim

enim in illa priori Conſtitutione contra illegimos lata, includuntur: Sicuti ipſemet Sixtus V. in poſteriori, quæ incipit, *Ad Romanum ſpe-ctat*, & infra; *Cæterum quæ à nobis, &c.* declarauit. Ita expreſsè docuit Sanchez in op. moral. lib. 5. cap. 5. num. 19. & 20. alijs relatis.

9 In interiori animæ iuditio licitum eſt, interueniente facultate Prouincialis, confeſſarijs noſtri ordinis diſpenſare cum coniugatis, ex quibus vir cum conſanguinea propriæ vxoris, & è conuerſo, adulterium commiſit; vt debitum petat coniugale Iulius II. Monachis S. Benedicti ex literis Cardinalis Santi Marcelli 4. Kal. Auguſti Pont. ſui Anno primo. Et ex orac. Pij V. factis Cardinali Cribello pro Fratribus Min. vt teſtatur Rod. in ſua Collect. ſub num. 9. Et in qq. regg. eiuſdem tom. 1. quæſt. 63. art. 1. 2. Apud Henriquez lib. 7. de Indulg. cap. 28. num. 6. & lib. 11. de matr. cap. 15. num. 11. Sanch. de Matr. lib. 8. diſp. 16. num. 8. Et Miran. p. 1. quæſt. 47. art. 1.

ANIMADVERSIO.

CVm autem Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 4. de Refor. Matr. ſanciuerit, affinitatem ex illicito concubitu ortam non extendi vltra ſecundum gradum. Non ineptè colligere poſſumus, nulla opus eſſe diſpenſatione incetuoſis cum conſanguineis alterius coniugis, vltra primum, & ſecundum gradum, ad petendum, vel exigendum debitum; Ex traditione Guttierez, Canon. qq. lib. primo cap. 23. num. 21. plures Doct. in id afferentis: quibus aſſentitur Nauar. conſ. 6. de conſang. & affinit. ſub num. 4. ſcribens, ſacram Congreg. in hanc partem inclinaſſe, vt inceſtus vltra ſecundum gradum ſuperueniens, debiti exactionem minimè impediat: Et hæc locum habeant ratione inceſtus; Nam ratione adulterij, debiti exactio impediatur; Cum omne adulterium priuet adulterum iure petendi debitum.

9 Eadem facultate de licentia Prouincialis ad eundem effectum, vti poſſunt in foro conſcientiæ cum his, qui Matrimonium contraxerunt, emiſſo ſimplicis caſtitatis Voto Pius V. Minoribus, viuæ vocis oraculo, facto Cardinali Cribello; Vt teſtatur Rod. in in ſua Collect. ſub num. 12. Vide etiam eorundem Comp. V. Diſpenſatio poſt Capucc. Annot. Henriquez lib. 12. de Imped. Matr. cap. 2. num. 9. Azor. p. 1. lib. 11. cap. 19. quæſt. 20. Et Sanch. l. c. nu. 3.

ANI-

ANIMADVERSIO.

SCiendum est, superstitem coniugem non posse iterum contrahere, sine impedimenti impedientis noua dispensatione.

10 Superiores nostri eximere possunt suos subditos ægrotantes ab horis Canonicis persoluendis, ea lege, vt septennos, aut sexennos, ad minus, psalmos ab ipsis superioribus assignandos, vel septies Orationem Dominicam, bisq; symbolum Apostolicum, durante infirmitate deuote recitent.

Quod si grauis vrgeat infirmitas, loco horarum Canonicarum, satis erit, orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam septies in die recitare Clem. VII. Cler. Regg. Vt ex p. 1. Eorum Comp. Et ex Annot. Capucc. Tit. Officium Diuinum Tertiò, planum esse potest.

Leonis porrò X. Viuæ vocis oraculo indultum fuit Minoribus tẽpore infirmitatis, præces aliquas, hymnos, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, alisue ad arbitrium Superioris recitare. Vt testantur literæ Laurentij, Cardinalis SS. Quatuor Coronatorum. Vide Rod. in Collect. Orac. num. 13.

11 Nedum cum infirmis, sed etiam cum senibus sibi subditis, non valentibus sine tædio, horas Canonicas recitare, dispensare valent nostri Superiores, vt tempore conualescentiæ, ac senij, loco horarum, aliquid arbitrio ipsorum Superiorum persoluant Eug. IV. Cistercensibus, die 10. Decembris, 1437. Bulla 21. apud Rod. in Collect. & Comp. Min. Tit. Infirmi. §. 12.

Vel quod beneplacito suorum confessariorum constitutum fuerit, similiter recitent. Ex concessione eiusdem Eug. ijsdem Hieron. loco citato.

Pariterq; cum ipsis Prælatis, Sacerdos ab eis electus super hoc, dispensandi ius habet; ex benignitate *Sixti. I V. in Marimagno, Min.* num. 13. & Prædic. num 15. idem ex Sylu. V. Confessor 1. §. 8. Votum 4. §. 3. vers. 11. & alijs.

ANIMADVERSIO.

HIs adde Prælatos Regulares, absq; alio intermedio, cum se ipsis posse dispensare circa omnia, quæ exercere possunt in suos subditos Auctor. Azor. p. 1. lib. 7. cap. 29. quæst. 6. Sà. V. Religio, nu. 47.

num.47. Sanchez de Matrim.lib.8.disp.3.nu.9. Et lib.4.moral. cap. 37.nu. 45. Lessio, lib.2.cap.40.dub.17.num.116.117.& 118.& alijs.

Quamuis autem iure communi, cum suis subditis, ac ipsimet subditi secum possint, rationabili causa, dispensare in legibus Ecclesiæ; Ex D.Thom.infra citando; ijs exceptis, quæ specialiter, vel ex consuetudine Papæ reseruantur. Non censentur tamen frustratoria Priuilegia, circa hoc eisdem concessa, prosunt enim ad maiorem, & pleniorem claritatem; iuxta Ioan. Cruz de statu, & priuil. Regul. lib. 1.cap.6. dub. 22. & lib.2. cap. & dub.1. Et ad conferendum certum, & specialem titulum illius potestatis Suarez. de leg. lib.8.c.22. nu.6.

12 Licitum est superioribus nostris dispensare cum infirmis sibi subditis, super ieiunijs ab Ecclesia indictis; Et super vespertina commestione. Clem. VII. Cler. Regg.

Ipsi quoq; superiores Soc. Iesu, gaudent priuilegio Iulij Tertij, dispensandi super ieiunijs, & cibis interdictis, nec solum per se ipsos id præstare valent nostri superiores: verum etiam per quemuis nostræ Congregationis Greg. XIII. præfate Soc. Iesu, vt in p.1. Comp. cler. Regg. tit. Dispensatio.

ANIMADVERSIO.

Nec omiserim, si certò constet ieiunij obseruantiam, vel ciborum delectum cuiuspiam saluti nocere, & periculum non patiatur moram adeundi superiorem; tunc necessitatem secum afferre dispensationem; ad notata per D. Thom. 1. 2. quæst. 96. artic. 6. & 2.2. quæst. 147. art. 4. Quod enim pro charitate institutum est, charitati aduersari non debet, inquit D. Bernardus, lib. De præcepto, & Dispensatione, cap.4.

13 Nostri Confessarij legitimè deputati, habent facultatem dispensandi cum secularibus in omnibus Votis Episcopo reseruatis Eug. IV. Monachis Sancti Benedicti. Vt in Collect. Rod. prid. Kal. Iulij 1436. *Etsi qualibet personas*, & infra num. 12. *Insuper, & Vota omnia permutare, ac in omnibus, & singulis casibus, etiam Ordinarijs, aut per Synodales, seu Prouinciales constitutiones reseruatis, cum eis dispensare*. Et in Comp. Min. Tit. Dispensatio §. 25. Iulius II. Congr. Sancti Benedicti Hispaniarum. Sic Littera Cardinalis Sancti Marcelli, supra relata, num. 8. Capucc. in suis Annot. l. c. Henriquez de Indulg. lib.7. cap.28. num. 6. Azor. p.1. lib.11. cap.19. quæst.20.

Sanch. lib. 4. moral. cap. 43. num. 4. & Less. lib. 2. cap. 40. dub. 18. num. 134.

ANIMADVERSIO.

NOn intelligitur pręfatum priuilegium, vt illo gaudentes, valeãt in votis ad libitum dispensare, sed iusta causa interueniente qualem exigit dispensatio: ad notata per Sanch. lib. 4. moral. cap. 43. num. 3. Suarez. lib. 6. de Voto, cap. 17. num. 4. post Glos. in cap. Non est, de Voto.

Iusta causa in Votis dispensandi, est vtilitas Ecclesiæ; Honor Dei; Vtilitas, & fructus spiritualis Vouentis; morale periculum sæpius violandi Votum; Imperfecta deliberatio in Voto faciendo; metus incussus ab homine ad extorquendum Votum, licèt metus non sit grauis; notabilis difficultas superueniens executioni Voti; Dubium de obligatione Voti; Et aliæ ad arbitrium prudentis viri; Quæ ad tria capita reuocari possunt. Ad pietatem, vtilitatem, necessitatem. Vide Suarez de Voto, l.c. Less. l.c. dub. 17. num. 120. Clau. Reg. lib. 6. cap. 12. Sanch. lib. 4. moral. cap. 45.

Licet verò eiusmodi priuilegia concedantur Confessoribus, quod videtur denotare, illorum vsum debere esse intra Confessionem Verius tamen est, posse Confessarios tali facultate vti extra confessionem. Nam quoties priuilegium non restringit expresse, vt fiat dispensatio in Confessione, vel in foro pęnitentiæ, non exigitur confessio, licet postulet, vt dispensans sit confessarius approbatus, iuxta Suarez l.c. cap. 16. num. 4. Sanch. de Matr. lib. 8. disp. 34. num. 29. & lib. 4. moral. cap. 43. nu. 17. Vide supra V. Commutatio, in Animaduers. post num. 3.

Porrò, virtute eorundem priuilegiorum, licebit nostris Confessoribus, dispensare in Votis reseruatis Pontifici, quoties in eis, ratione alicuius circumstantiæ occurrentis, qua deficiunt à veri Voti reseruatione, & materia, potest Episcopus dispensare. Secus verò, quando seruata Voti reseruati materia, & dispensatione in illam cadente, potest Episcopus dispensare ob solam tantum necessitatem; iuxta doctrinam Suarez l.c. cap. 26. num. 17. Sanch. ibidem loco proximè allegato num. 7.

Hanc etiam facultatem extendi ad dispensandum, & commutandum in Votis emissis in fauorem tertij, docet Sanch. l.c. cap. 41. nu. 9.

post

poſt Suárez, vbi ſupra cap. 15. num. 11. Cum enim per eiuſmodi Vota, nullum ius acquiratur tertio, perinde iudicari debet de illis, ac de Votis in ſolius Dei honorem factis.

Limitanda vero eſt aſſerta facultas, vt non habeat locum in obligatione à teſtatore impoſita hæredi; exempli gratia. Vt quempiam ad Deiparam Lauretanam tranſmittat. Nec etiam in ea, quæ ex reali defuncti Voto per ipſum hæredem contrahitur. Cùm talis obligatio non ex Voto immediatè, ſed quaſi ex contractu oriatur; Si quidem adita hæreditate, onera à defuncto impoſita, ſeù ab eodem, ſi realia erant, contracta, tranſeunt ad hæredem; quemadmodum ſi Publij Votum me impleturum ei pollicear; Cùm id ex pacto tenear, nequeo ab huiuſmodi obligatione, per diſpenſationem ſolui; id enim in tertij damnum cederet.

Nil autem officit, Originem à Voto pendere, Votumq; ex ſui natura eſſe commutabile; quoniam Votum commutari non poteſt, niſi conſentiente Vouente; porrò, qui non viuit, conſenſum præſtare non poteſt. Ex Leſſ. lib. 2. cap. 40. dub. 18. num. 134.

Neque reſtringenda eſt talis facultas, Vt Confeſſarij ea tantum vti poſſint erga ſubditos Diœceſis, in qua commorantur. Sed extenditur ad quoslibet vndecumq; venientes. Cùm enim talem diſpenſandi poteſtatem à Pontifice accipiant, reſtringi nullatenus debet ad ſubditos Diœceſis, in qua Cõfeſſarij exiſtunt: id quod apertè indicat Sanch. l. c. cap. 43. num. 15. contra Rodericum.

14 De licentia Prioris Generalis, ad maiorem Dei gloriam, animarumq; ſalutem, poſſumus commorari in Terris hæreticorum, ſchiſmaticorum, aliorumq; infidelium, & cum eis conuerſari, ac vitæ neceſſaria ab eiſdem recipere: Paulus III. Soc. Ieſu, Conſt. *Licet debitum: num.* 22.

15 Confeſſarij ex noſtris, qui in Terris ſupradictorum infidelium vitam degunt; Necnon qui in locis ab Apoſtolica Sede remotiſſimè commorantur, diſpenſare poſſunt cum his tantum, qui ab infidelitate conuertuntur; quiq; prius in gradibus non licitis, Diuina tamen lege minimè prohibitis, Matrimonia contraxerunt, vt in eiſdem permaneant Paulus III. Soc. Ieſu, ibidem nu. 36.

ANIMADVERSIO.

CVm ex Cap. Gaudemus, de Diuortijs, Matrimonium tempore infidelitatis contractum contra leges tantum Canonicas, validum habeatur; planum est, nulla opus esse dispensatione circa hoc; sed præfatum priuilegium ad vberiorem cautelam concessum esse. Videatur Sanchez de Matrim.lib. 8.disp.6.num. 29.

ECCLESIA.

1 QVoties locis nostris relictis, ad alia nos transferimus, possumus ad illa deferre omnem relictorum locorum, seù ædificiorum materiam, (dedicatis Ecclesijs exceptis) Codices, Calices, paramenta. Possumus insuper, vendere ædificia cum solo, aliaq; ad ipsa loca spectantia, demptis Ecclesijs, pretiumq; in vtilitatem locorum, ad quæ nos transferimus conuertere. prout magis expedire videbitur Sixtus IV. in Marimagno Prædic. num. 34. & Minorum, num. 35. Et in eorum Comp. Tit. Ædificare.

ANIMADVERSIO.

CVm autem priuilegium Sixti IV. aduersari videatur Cap. Cùm ex eo, de excess. Prælat. in 6. nihil negotij facescere debet, quod in priuilegio Sixti nulla fiat derogatio, dicti Cap. Cùm ex eo, necessario exprimendi. Quoniam Sixti concessio, facta fuit Motu proprio, & ex certa scientia. Vulgatissimum porrò est apud scribentes, clausulam: *(ex certa scientia)* quæ in rescriptis poni solet, indicare, Principem velle gratiam, & concessionem valere quamuis desit clausula *(non obstante tali lege)* necessariò aliàs exprimenda; prout ex Baldo in l. omnes, in princip. Cod. de Quadrag. præscript. asserit Celsus Hugonius, in tract. de Clausulis Rescriptorum, num. 45. & 55. suffragatur Alex. conf. 103. par. 4. scribens, clausulam *(ex certa scientia)* nihil in Rescriptis operari, nisi in his tantum, de quibus Princeps scientiam habere præsumitur; Cuiusmodi sunt ea, quæ in iure continentur. Vide etiam Suarez de leg. lib. 8. cap. 27. num. 8. & cap. 39. nu. 7.

2 Permittitur nobis loca minus apta, & commoda in manibus ordinariorum resignare, eaq; prout magis expedire visum fuerit, relinquere

quere onerata, super hoc Prioris Generalis conscientia. Idque non obstante Const. Bonif. VIII. vetante loca recepta deseri; cæterisq; in contrarium quibuscumq; Sixtus IV. Generali ordinis Minorum Die 22. Martij 1482. *Fecisti*, & infra, *Nos itaq; totis desiderijs regularis obseruantiæ profectum affectantes deuotis huiusmodi supplicationibus paternè in Domino annuentes: deuotioni tuæ, præsentium tenore, licentiam, & facultatem omnimodam damus, concedimus, & impartimur; ea loca quæ fratribus tuæ curæ commissis, minus commoda esse cognoueris, vel aliàs onerosa, in omnibus Prouincijs Vicariatus tui, in manibus ordinariorum locorum liberè dimittendi, & illa licitè deserendi, prout tibi visum fuerit expedire. Super quibus tuam conscientiam oneramus, const. fel. record. Bonifacij Papæ VIII. Prædecess. nostri, prohibente loca semel recepta non deseri, & alijs Apostolicis constitutionibus, dictiq;. Ordinis, statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, vel quauis alia firmitate roboratis, cæterisq; fortè contrarijs, non obstantibus quibuscunque.* Ita in Collect. Rod. Et in Comp. Min. Tit. Ædificare §. 8.

ANIMADVERSIO.

IN hac materia seruandum erit cap. 39. nostrarum Constitutionum. Vide etiam Confett. in summario Priuil. Mendic. tit. 18. cap. 3.

3 Quoties Ecclesias nostri Ordinis construi, & ædificari contigerit, Prior Generalis gaudet facultate benedicendi primum lapidem, fundamentaq; vti gaudent Episcopi. Celestinus V. suæ Religioni, in Bulla, *Et si cunctos Ordines*, Vt in Comp. Cherubini; & in Comp. priuil. S. Mariæ Fulien. tit. eod. § 14.

ANIMADVERSIO.

PRænarratæ Benedictionis ritus extat in Romano Rituali Pauli V. iussu ædito 1615.

Domus, & Ecclesiæ ad vsum nostri Ordinis erigendæ, gaudebunt omnibus priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, Indulgentijs, & gratijs, tàm spiritualibus quàm tēporalibus, quibus hactenus erectæ liberè, & licitè vtuntur, potiuntur, & gaudēt. Vide infra V. Indulgentiæ quo ad fratres in Animad. versi. cùm denique, &c.

Ecclesiæ collegiatæ nomine, in onerosis non venit Monasterium. Vnde quando Rubrica Missalis Romani præcipit, vt dicantur duæ Missæ, vna de Festo, & altera de Feria; in Ecclesijs regularium sufficit vnam tantummodo celebrare Rod. in qq. regg. to. 1. q. 43. art. 12.

Ecclesias reconciliare; Vide V. Benedicere.

EIICERE.

1 FRatres, etiam professi nostri Ordinis, qui antequam Religionem ingrederentur, delicta scandalosa commiserunt, vel de eis diffamati fuerunt. Si moniti in eorum professione illa fraudolenter suppresserunt, occultaruntq; tàm à capitulo Generali, quàm à Rectore Generali, professione emissa non obstante, eijci possunt ab ordine, prout illis in conscientia, quæ in hoc aggrauatur, visum fuerit iustum, & honestum Leo. X. Minoribus, vt in Collect. Rod. die. 15. Martij. 1516. *Cùm sicut nobis*, & infra; *Nos itaq; vestram Religionem, quæ Domino concedente, inter alias, vberrimos bonorum operum fructus, exhibere consueuit in sua puritate, ac tot murmurationibus, & scandalis obuiare volentes, vobis, quod omnes, & singulos ad vestra Religionem confugientes, etiam professos, qui grauissimis, & scandalosis delictis notati, & infamati fuerunt, quæ fraudolenter, & dolosè in eorum receptione, seù professionis emissione, monitione super his per vos præmissa, tacuerunt, non obstante, quòd iam per vos recepti, & professiones per eos emissæ fuerunt; ne morbida, & infecta pecus ouile Domini corrumpat, alijsque cedat in exemplum, à domibus, & Conuentibus vestris, prout conscientiæ vestræ; quam super hoc oneramus, visum fuerit, & iustum, & honestum fore decreueritis expellere, & remouere liberè, & licitè possitis, & valeatis, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium, licentiam, & facultatem concedimus, pariterq; indulgemus. (onstitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & Ordinis vestri huiusmodi iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, & cæterisq; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.* Et in eorum Comp. tit. Eijcere, §. 5.

ANI-

ANIMADVERSIO.

QVo ad nullitatem professionis Sixtus V. contra quibusdam criminibus notatos, qui sextum Decimum ætatis annum excedunt, duas edidit constitutiones, quas postea Clem. VIII. in Bulla, quæ incipit, *In suprema Ecclesiæ die* 2. *Aprilis* 1602. ad ius commune reduxit. Saluis tamen pœnis inflictis contra superiores recipientes ad habitum, & ad professionem admittentes, non seruata forma à Sixto præscripta. Bullam prædictam de verbo ad verbum habes apud Quar. V. Monasteria, & Conuentus.

2 Rector noster Generalis ex se, Prouincialis autem cum consensu maioris partis capituli Prouincialis, potest fratres incorrigibiles habitu priuare, & à Congregatione expellere. Quisquis autem super vetiti habitus delatione consilium, auxilium, vel fauorem, publicè, vel occultè, directè, vel in directè; aut alio quouis quæsito colore, illis præstiterit; cuiuscumque dignitatis, gradus, & conditionis existat, censuris Ecclesiasticis, alijsue iuris opportunis remedijs, remota appellatione ab eodem Generali percelli poterit; inuocato etiam, si opus fuerit auxilio brachij secularis Alex. VI. Generali Minorum apud Rod. in Collect. die 15. Iunij 1501. *Cùm sicut nobis*, & infra; *Nos attendentes dicti Ordinis, & conseruationi obseruantiæ vestræ omnino conducere, vt personas sic incorrigibiles, ne alios corrumpant, & inficiant, à vobis eijciantur; Tibi, & Generali Vicario pro tempore existenti, per vosmetipsos duntaxat, & alijs Vicarijs Prouincialibus dicti Ordinis, per eos cum consensu maioris partis Capituli Prouincialis, religiosos dicti ordinis, quos sic incorrigibiles reperiretis, tanquam membra putrida, habitu vestro expoliandi, & à vobis eijciendi; ac contra quoscumq; eis forsam auxilium, consilium, vel fauorem publicè, vel occultè, directè, quouis quæsito colore, supradicti habitus delatione, præsentes, etiam cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis, & conditionis, per censuras Ecclesiasticas, ac alia iuris opportuna remedia, appellatione postposita, procedendi; omniaq; alia, & similia in præmissis, & circa ea necessaria quomodolibet, & opportuna faciendi, gerendi, & exequendi, auxiliumq; brachij secularis, si opus fuerit, inuocandi, plena, & libera, & omnimoda auctoritate Apostolica, tenore præsentium; concedimus facultatem. Non obstantibus, &c. cæterisq; contrarijs quibuscumq; &c.* Et in eorum Comp. tit. Eijcere §. 4. & tit. Habitus fratrum, §. 12. Vide supra V. Correctio, nu. 3.

ANIMADVERSIO.

DIcet aliquis, quo pacto possint Capitulum Generale, Priorq; Generalis eijcere incorrigibiles à nostra Religione, cùm iure cautum sit, Cap. Ne religiosi, de Regul. omnes Generales Abbates, seù Priores religionum, annuatim debere solicitè requirere eiectos de ordine suo, & ipsos ad reditum compellere? Respondetur, primò, Sixtum Quartum expressè derogasse præfato cap. prout elicitur ex Comp. S. Mariæ Fuliensis tit. eijcere, & expellere, post §. 2. vers. circa Monachos, secundò, dicimus cum Nauarro, quem refert, ac sequitur Azor. p. 1. lib. 12. cap. 17. quæst. 1. illud cap. intelligendum esse, de eiectis iniustè; idest iuris ordine non seruato.

Pro cuius rei dilucidatione scire iuuat, ad iustam habitus priuationem, & à Monasterio eiectionem, requiri primò, vt adsit crimen, pro quo iure communi imponenda esset pęna mortis, vel perpetua carceri mancipatio, vel perpetua, aut temporalis ad triremes deputatio, siuè aliud grauissimum inobedientiæ, & contumatiæ crimen. Requiritur secundò, vt id fiat, cognita causa, ac per sententiam definitiuam; ad mentem Nauarri: Com. 2. de Regul. nu. 36. post Ardiach. in cap. Peruenit ad nos 27. q. 1.

Et licèt extet quædam declaratio Illustrissimorum Cardd. interpretum super Conc. Trid. qua prohibetur, *Nullum regularem à Monasterio esse expellendum, sed pro culpis; ignominia, carcere, alijsq; modis à suis superioribus plectendum*. Nihilominus, cum supradicta priuilegia non reuocet; probabiliter dici potest, nihil ipsis officere. Sed eam locum habere in Regularibus, relatis priuilegijs minimè gaudentibus.

Vide cap. 29. 30. nostrarum Const.

Insuper sciendum est in præfato cap. Ne religiosi, de Regul. plura decerni. Primum Præsidentes capitulis, Abbates, seù Priores debere annuatim, vt dictum est, quærere suos religiosos professos, eiectos, aut fugitiuos. Secundum, per censuram Ecclesiasticam compellendos esse Prælatos admittere tales eiectos, & fugitiuos, sine præiudicio tamen regularis disciplinæ. Tertium, si absq; præiudicio regularis disciplinæ tales fugitiui, & eiecti admitti non possint; prouidere debent Prælati, vt vitæ necessaria talibus suppeditentur, vel apud eadem Monasteria in locis conuenientibus, si remoto scandalo,

lo, id fieri poterit, vel in cæteris religiosis domibus eiusdem Ordinis ad pœnitentiam ibi peragendam. Quartum, nolentibus his eiectis, aut fugitiuis ad claustrum redire, excommunicationis pœnam per Prælatum eisdem infligendam esse; Episcoposq; eos publicè excommunicatos, denuntiare debere, quoadusq; obedientiam præstiterint.

Circa cuius capituli declarationem, plura notantur à Sanchez lib. 6. moral. cap. 9. à nu. 11. vsq; ad 23.

Quamuis autem attento iure communi, solos incorrigibiles ab Ordine eijci possint, secundum Azor. par. 1. libro 12. capit. 16. quęst. 3. Speciali tamen iure, ac instituto Religionis per Roma. Pontif. confirmato pluribus alijs de causis eijci posse professos insinuat Sanch. ibidem, nu. 5. Causæ verò sunt, Nolle corrigi, seù emendari; Commisisse aliquod crimē, propter quod eiectio in illa Religione constituta est. Tacuisse aliquod impedimentum, quod censetur essentiale in Religione; Auctore Lessio. lib. 2. cap. 41. nu. 106.

Bannes 2. 2. quæst. 69. art. 4. post 5. concl. videtur sentire religiosum, triremibus deputatum posse fugere, vt ad Prælatum se conferat veniam rogaturus. Id quod improbatur à Sanchez, ibidem cap. 8. num. 16. dummodo iustè damnatus sit; sicuti, nec perpetuo carceri mancipatus fugere poterit: quoniam ea carceris pęna iusta est, & legitimo iuris ordine seruato imposita; per ea quæ afferunt Sanchez, ibidem num 13. & Suarez to. 4. de Relig. Tract. 8. lib. 2. c. 10. num. 10. alijs citatis.

Posset tamen fugere, si post carcerem ad pęnam capitis, aut mutilationis alicuius membri esset damnatus Sanch. l. c. num. 15. Suarez l. c. num. 11.

Priuilegia, & facultates etiam ex constitutionibus nostris superius hoc tit. & Animaduer. recensita, eatenus nobis suffragari poterunt, quatenus non aduersantur Decreto Congr. Conc. Trid. circa Regulares Apostatas, & fugitiuos; quod V. Apostata in fine referre placuit Id ibi vide.

ELEEMOSYNA.

1 Contradictione quauis non obstante, Congregationis nostræ concionatores, possunt à quibuslibet Eleemosynas petere, atque recipere Alex. IV. Min. Vt in eorum Comp. eod. tit. nu. 1.

2 Tàm Episcopi, quàm cæteri prohibentes, ne eleemosynarū largitiones nobis fiant, sunt ipso facto excommunicati; Contra quos Inquisi-

quisitores hæreticæ prauitatis, tanquam contra hæreticos procedere possunt. Ex indulto Bonif. VIII. Prædic. Vt habetur ex Rod. qq. regg. to. 2. quæst. 57. art. 8. Et Sixti IV. Carmelitis; Vt habetur in eorum Marimagno sub num. 70. Et eiusdem Sixti August. Vt in eorum Marimagno, num. 51. Et Innoc. 8. Seruitis, vt in eorum Marimagno, sub num. 12.

3 Curati, seu Præsbyteri Parochiales, qui non permittunt nos petere Eleemosynas absque eorum licentia, & Ordinariorum litteris; quique dimidium eleemosynæ mendicatæ retinere sibi volunt, sub grauibus censuris prohiberi debent per Prælatos Ecclesiarum, vt omnino abstineant ab huiusmodi grauaminibus, & molestijs; Idque quoties à nobis id requisitum fuerit, inuocato etiam si opus fuerit auxilio brachij secularis. Ita præcepit Leo. X. pro fratribus Min. in hæc verba. *Exponi nobis nuper fecerunt*, & infra; *Nihilominus sicut accepimus, pleriq. Ordinarij Locorum, & Parochialium Ecclesiarum Rectores, in diuersis Mundi partibus propriæ salutis immores, Deiq; & Ecclesiæ censuræ timore, ac Apostolicæ Sedis reuerentia postpositis; & infra, Fratres, quorum vita subsidio fidelium eleemosynis; magna ex parte consulitur, eleemosynas huiusmodi petere non permittunt, sine eorum licentia, & Diœcesanorum, & e,rum Vicariorum literis, eleemosynarumque mendicantium medietatem sibi vendicare volunt. Et ne ratione Confessionum, & celebratione Missarum aliquas à suis Parochianis eleemosynas accipiant, prohibere; alioquin, & ipsi Rectores, vel Vicarij tantundem ab ipsis Parochianis extorquere nituntur, etiam ad prohibitionem huiusmodi obseruandam, censuras, vel ab ordinarijs locorum contra illarum transgrissiones passim obtentis, vel propria temiritate ad terrendum simplicem populum, qui censuras timet, latis vtuntur. Corporaq; mortuorum, qui elegerunt sepelliri in Ecclesijs prædictorum fratrum, nonnunquam rapiunt, & ad suas Ecclesias deferunt; Ibidemq. Diuina celebrant, vt sic oblationes percipiant. Et de funeralibus, ac mortuorijs pro corporibus, quæ in Ecclesijs dictorum fratrum sepeliuntur, dimidiam: de omnibus autem legatis, & oblationibus quartam partem, contra diu obseruatam consuetudinem habere contendunt, & super præmissis, ac plerisq; alijs, varias dictis fratribus molestias, de iacturas inferunt.* Et infra; *Quamobrem nos, qui dictorum fratrum, quietem, & tranquillum statum intensis desideramus affectibus.* Et infra, *Dictorum Generalis, Prouincialium, Custodum, Guardianorum, & aliorum fratrum*

Prædi-

Prædicatorum humilibus super hoc nobis porrectis supplicationibus inclinati. Vobis, & cuilibet vestrum per præsentes districtè præcipiendo mandamus, sub dictis censuris, vt vos ab eorum molestia, & omni inquietudine penitus abstineatis, & quoties nominè dictorum Fratrum, vel alicuius ex eorum Ordinis Ministris, Prouincialibus, aut alijs fratribus pro tempore existentibus, fueritis super hoc requisiti, omnes, & singulos Parochialium Ecclesiarum in vestris respectiuè Ciuitatibus, & Diœcesibus, existentes Rectores, seù Vicarios ad desistendum posthac ab huiusmodi molestijs, & grauaminibus, constitutionesq́; prædictas, & dictorum fratrum priuilegia eis inuiolabiliter obseruanda sub pęnis, & censuris in dicti Sixti Prædecessoris inhibitione contentis, moneatis, & præcipiatis. Inobedientes verò legitimis super hoc habendis processibus, censuras, ac pęnas prædictas incurrisse, declaretis, & declaratos publicè nuntietis, aut nuntiari, Et vt tales ab omnibus arctius euitari mandetis, & alia faciatis, quæ in præmissis fuerint quomodolibet opportuna, inuocato etiam ad hoc, quando opus fuerit, auxilio brachij secularis. Reliquas verò personas, tàm Ecclesiasticas quàm seculares, cuiuscunque status, aut conditionis existant, qui Rectoribus Parochialium Ecclesiarum in præmissis contra fratres prædictos, fauorem, auxilium, vel consilium præbere præsumpserint, per censuras Ecclesiasticas, & alia iuris opportuna remedia monitione præmissa districtius coerceatis, & vt à talibus in futurum caueant, prohibeatis. Non obstantibus constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & infra, *cæterisq́; contrarijs quibuscunque, &c. sub dat. die* 3. *Decembris* 1518. apud Rod. in Collect.

ANIMADVERSIO.

DIsputant DD. An Decretum Conc. Trident. sess. 21. cap. 9. De abolendis Eleemosynarum quæstionibus, aduersetur religiosis Mendicantibus, qui pro suorum Monasteriorum substentatione Eleemosynas quæritant Rod. to. 2. qq. regg. quæst. 57 art. 7. Nauarrum secutus, cons. mihi, 33. de pęnit. & remis. negatiuè respondet, plerasque affert rationes, quibus Religiosi Mendicantes excipi debent à generali Concilij dispositione; Si quidem locum tantum habet in Eleemosynarum quæstionibus, qui prædicant, aut publicant Indulgẽtias his cõcessas, qui porrigunt manus adiutrices locis, quorũ existunt Quęstores. Iuribus per Sanch. citatis, lib. 7. moral. c. 24. nu. 7.

Quibus

Quibus suffragatur Declaratio Pij V. Const. *Etsi Mendicantium Ordines*, relata à Rod. in Collect. sub num. 25. Sancientis, Concilij Decretum non esse referendum ad Ordines Mendicantes, per hæc verba; *Quod verò de vsu Quæstorum Eleemosynarum auferendo loquitur sess. 21. cap. 9. Id ad Mendicantium Ordines nullo modo referri posse, vel debere etiam decernimus.*

Cathechesis etiam Neapolitana, lib. 3. cap. 15. num. 190. docet, locorum ordinarios non posse per censuras statuere, ne fratres Mendicantes Eleemosynas quærant absq; sua licentia, cùm non comprehendantur sub dispositione Conc. Trid. sicut Congregatio Cardinalium Romæ hac de re consulta respondit, hoc modo.

Ad secundum. Fratres Ordinum Mendicantium impediri non posse, quominus Eleemosynas quærant.

Antonius Card. Carafa. —

Idem apud Steph. Quar. V. Confessor pro fratribus Ord. Prædic. Prouinciæ Terræ laboris Regni Neapolitani, statuit eadem sacra Congreg. die 10. Octobris 1586. hisce verbis.

Lecto in sacra Congr. Regularium, & infra, *secundo Fratres Mendicantes nullatenus à Quæstuatione, quæ de licentia suorum superiorum fit, & in dies fieri continget, prohibeantur.*

Fr. Michael Bonellus Card. Alex.

Georgius Paleanius Secret.

His accedit nouissimum Decretum Card. interpretum Conc. Trident ad fauorem Ordinum Mendicantium, in hæc verba.

Sacra Congr. Cardinalium Conc. Trid. interpretum, censuit, fratres Ordinum Mendicantium nequaquam posse ab Episcopis prohiberi, quominus per se ipsos in Diœcesibus, vbi habent Conuentus Eleemosynas quærant: sed tantum si extra loca, vbi Monasteria existant quæritare voluerint, teneri suorum superiorum licentia ordinario ostendere.

R. Cardinalis Vbaldinus.

Prosper Fagnanus S. Congreg. Conc. Secret.

Patauij ex Typographia Gasparis Criuelarij. 1621.

EPISCOPI.

1 QVoties aliquis ex Ordine nostro ad Episcopalem, seù aliam dignitatem extra Ordinem assumitur, tenetur sub peccato mortali, omni dilatione postposita, Rectori Generali exhibere, libros,

libros, & quicquid tempore promotionis habuerit, nisi ab ipso Rectore Generali, talium rerum vsus ad tempus specialiter ei permittatur Alex. IV. Minoribus, vt in Collect. Rod. die 9. Decembris, Pont. sui anno 1. *Ex parte vestra*, & infra, *Nos igitur eorundem fratrum saluti, & indemnitati vestri Ordinis, Paterna volentes sollicitudine prouidere, vt libros, & alia, quæ ipsos promotionis suæ tempore habuisse seu habere constiterit, tibi, fili Generalis Minister, vel suis Prouincialibus Ministris, submota qualibet dilatione, resignent, ipsis fratribus iam promotis, in virtute obedientiæ, illis autem quos promoueri contigerit, ne resignare differant, Auctoritate huiusmodi, duximus iniungendum; nisi forsan vos ipsorum vsus eis ad tempus concesseritis de gratia speciali*. Et in Comp. eorundem tit. eod. §. 2.

2 Inhabilisq; redditur ad consecrationis munus, nisi Priori Conuentus, quicquid ex nostra Congr. habuerit, actu resignauerit. Idque sub pęna suspensionis ab executione ministerij Pontificalis Clem. IV. Ord. Prædic. Vt in eadem Collect. 5. idus Iunij, Pont. sui anno 4. *Prouidentia laudabilis*, & infra, *Nos præsumptioni huiusmodi volentes salubriter refragari, vniuersis fratribus dicti Ordinis, ad huiusmodi Archiepiscopatus; Episcopatus, & Prælaturas de cætero assumendas, Auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne consecrationis munus, quoquomodo recipiant, antequam libros, & bona continentia ordinem memoratum, quæ apud eos tempore suæ promotionis, habere contigerit; Prioribus, & Conuentibus de quibus assumpti fuerunt, cum integritate resignent; nisi forsan ijdem Priores de consensu ipsorum Conuentuum, vsum illorum ad certum tempus eis duxerint concedendum, alioquin eo ipso, ab executione Pontificalis ministerij nouerint se suspensos. Inter huiusmodi autem libros non intelligimus comprehendi quaternulos, & illas cartulas, vel membranas, in quibus dicti fratres sibi certa notabilia cum aliquibus priuatis sermonibus collegerint*.

Ex dispositione Pauli IV. Episcopi ad suam Religionem reuersi, prohibentur admitti ad officia, & dignitates ipsius Religionis hunc in modum.

In sacra Beati Petri, sede meritis licet imparibus diuina dispositione collocati, ad ea, per quæ sub religionis iugo, domino famulantium quieti consulitur, & ambitionis via præcluditur diligenter intendimus, & in his nostri pastoralis officij partes fauorabiliter impartimur, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Cùm itaque, sicut

nobis

nobis innotuit, nonnulli Episcopi, & Archiepiscopi diuersorum Ordinum professores, dignitates, officia, etiam superioritates nuncupata, suorum Ordinum ambientes, ad hoc, & ad alia assumi, eaq; obtinere valerent, ab eorum Ecclesijs, quibus praerant, etiam munere consecrationis per eos suscepto sedem Apostolicam absolui procurauerint, & ad claustra suorum Ordinum redeuntes, se ad dignitates, & officia, & superioritates huiusmodi, diuersis modis, & vijs assumi, eaque consequi sategerint, & exinde quamplures dissensiones, & contentiones, ac religionis in obedientia, exortæ fuerint, & in dies exoriantur in animarum suarum periculum, & dictorum Ordinum opprobrium, ac scandalum plurimorum. Nos præmissis, prout ex debito pastoralis officij tenemur, prouidere volentes, motu proprio, & ex certa scientia nostra; volumus, & auctoritate Apostolica statuimus, & ordinamus, quod nullus cuiuscumque Ordinis, seù religionis professor, Episcopus, seù Archiepiscopus, postquam munus consecrationis huiusmodi susceperit, etiamsi à vinculo Ecclesiæ, cui præfuerat per sedem eandem absolutus, eique, quod in suo ordine permaneret, & ad dignitates, ac officia, & superioritates huiusmodi assumi, eaque obtinere posse, per sedem eandem seù illius authoritate concessum foret, ad dignitates, aut officia, seu superioritates huiusmodi cuiuscumque qualitatis existant, & quouis nominè nuncupentur eligi, seu assequi, aut obtinere nullatenus possit, & ineligibilis, atq; ad ea obtinenda perpetuò inhabilis existat, ac quæuis indulta, concessiones, dispensationes, & facultates, & aliæ gratię, ei, tàm à vobis, & sede prædicta, etiam per Literas Apostolicas, etiam in forma breuis, vel alias ab eis legatis, seù nuntijs, aut maiori pætentiario nostro, quàm à superioribus dictorum Ordinum à quibusuis alijs, etiam ad id potestatem, & authoritatem habentibus, sub quibuscumq; tenoribus, & formis, ac cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusq; & alijs decretis, etiam motu, & scientia similibus, & desuper hactenus concessa, & in posterum concedenda nulla, & inualida, nulliusq; roboris, vel momenti sint, & esse censeantur. Et si quis, eum de cætero, ad dignitates, seu officia, aut superioritates huiusmodi scienter elegerit, iure eligendi perpetuò careat, ac voce actiua, & passiua, eo ipso priuatus existat. Reuocantes, Cassantes, & annullantes omnia, & singula indulta, concessiones, dispensationes, facultates, & gratias huiusmodi, quorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus haberi volumus pro expressis, & decernentes

nentes irritum, & inane quidquid, super his à quoquam, quauis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis &c. cæterisq; contrarijs quibuscumque. Volumus autem, &c. Dat. Romæ, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 19. Iulij Pont. nostri, anno. 5. Vt in Collect. Rod.

EVCHARISTIA.

1 PErmittitur nobis Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, debito cultu, in proprijs Ecclesijs conseruare Paulus III. Soc. Iesu Vbi supra V. communicare, num. 1. & Gregor. XIII. Ord. Sancti Basilij apud Rod. in Collect. Bulla XI. num. 5.

EXCOMMVNICATIO.

1 SVperiores nostri excommunicare valent, etiamsi sententiam excommunicationis in scripto non proferant, iuris pœna non obstante Leo X. Min. in eius orac. num. 66. die 7. Aprilis 1517. prout testatur D. Card. Sanctorum Quatuor Coronatorum Comp. Tit. eod. §. 7.

ANIMADVERSIO.

2 NEc silentio inuoluerim, Conc. Trid. sess. 25. de Refor. cap. 3. Prælatos admonitos velle. *Vt sobriè, & magna cum circumspectione excommunicationis gladio vtantur, cùm experientia doceat si temerè, aut leuibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quàm formidari, & perniciem potius parere, quàm salutem &c.*

2 Fratres nostri immunes redduntur à quauis excommunicatione, suspensione, vel interdicto extra Ordinem nostrum contra ipsos latis Sixtus IV. August. in Marimagno sub num. 31. hisce verbis. *Ita quod nec locorum ordinarij, nec vlla quæuis persona Ecclesiastica in vos, & Ordinem, personas, & Ecclesias, Oratoria, domos, & loca prædicta, vtpotè prorsus exemptas, possent excommunicationis, suspensionis, aut Interdicti promulgare sententias, vel aliàs potestatem, vel iurisdictionem aliquam exercere, ac omnino irritum, & inane, si quid foret in contrarium attentatum.*

Paulus III. Soc. Iesu, in præcitata Bulla, *licet debitum,* sub num. 19. sic;

ſic; *Nec vllis Prælatis contra aliquem de prædicta Societate, vel contra alios eorum causa, aliquam excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiam, contra eiusdem societatis Priuilegia per nos concessa, ferre liceat. Et si fecerint, eo ipso irrita, nulliusq; roboris, vel momenti sit, & esse censatur.*

Idem conceſſit Paulus V. Congr. S. Mariæ Fulien. ex traditione Comp. cler. Regul. Vide Capucc. in Annot. ad Comp. tit. eod. verſ. octauò, notandum, & Henriquez lib. 7. de Indul. cap. 25. num. 7. in tex. & gloſ.

ANIMADVERSIO.

REgulares omnes præfato priuilegio gaudentes, nequeunt, cenſuris compelli ab Epiſcopis ad ſibi obediendum in caſibus, in quibus ipſis ſubduntur, niſi in ſpecie conceſſum fuerit Epiſcopis in Canone ſubijciente ipſis Regulares, vt contra illos cenſuris procedere valeant Sanchez de Matr. lib. 7. diſp. 33. num. 23. & lib. 6. Moral. cap. 1. num. 14. alijs citatis. Vide infra V. exemptio.

Non eſt cur hoc loco prætereamus, regulares delinquentes extrà loca, in quibus degunt, ſuorum Prælatorum excommunicationibus ligari; vbicumque enim exiſtit ſubditus Regularis, illuc ſe extendere Prælatorum poteſtatem, probat efficaciter Auila, p. 2. cap. 3. diſp. 2. dub. 4. Sylueſtrum contra Angelum ſecutus.

Secluſo priuilegio, illud etiam ex eodem Auila p. 2. & cap. 2. diſp. Vnica, dub. 3. meminiſſe iuuabit, Prælatos Religioſorum non debere ſolo verbo, ſed in ſcriptis excommunicare, ſub pęna peccati mortalis, & ſuſpenſionis per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ, & à Diuinis officijs iuxta cap. 1. de ſent. excomm. in 6. Niſi conſtitutiones Religionis à Pontifice confirmatæ diuerſum præſcribant. Cùm enim forma excommunicandi in ſcriptis à iure communi præſcribatur, aboleri non poterit per conſtitutiones à Pontifice non approbatas, vt ait Nauarrus in Manu. cap. 27. nu. 8.

EXEMPTIO.

1 LIberi, & exempti ſumus a quauis ſuperioritate, Solique Romano Pontifici ſubijcimur. Ex Conceſſione Innoc. VIII. ſpecialiter nobis facta VII. Kal. Octob. 1487. Bulla, *Vitæ, & cōſcientiæ puritas,*

puritas, infraq;. *Huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes, & singulos societatis prædictæ, nunc, & pro tempore existentes Eremitas, eorumq; Oratoria, Eremitoria, loca, domos, constructa, & construenda, vbicunque constructa sint siuè fuerint cum eorum personis, bonis mobilibus, & immobilibus, ac iuribus, & pertinentijs ad ipsos fratres, & Eremitas, eorumq; oratoria, Eremitoria, loca & domos huiusmodi spectantibus, quæ nunc possident, & in posterum præstante Domino, oblatione fidelium, aut aliàs iustis titulis poterunt adipisci, ab omni iurisdictione, superioritate, correctione, visitatione, Domino, Inquisitione, & potestate ordinariorum, & Inquisitorum prædictorum quorumcumque Auctoritate Apostolica, tenore præsentium, perpetuò eximimus, & totaliter liberamus; ac sub nostra & sedis præfatæ protectione suscipimus, nobisq; & successoribus nostris Roman. Pontificibus canonicè intrantibus, immediatè sub esse decernimus; ita quod ordinarij, & Inquisitores præfati, etiam ratione delicti, aut contractus, vel rei de qua agetur vbicumque committatur delictum iniatur contractus, aut res ipsa consistat, nullam in eos, aut eorum aliquem; aut oratoria, Eremitoria, loca, domos, & bona prædicta, tamquam prorsus exemptos & exempta, iurisdictionem, correctionem, superioritatem, dominium, Inquisitionem, vel potestatem exercere, aut excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, aut quasuis alias sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas quomodolibet promulgare præsumat. Sed teneantur ipsi Eremitæ, coràm nobis, & successoribus nostris prædictis, aut eiusdem Sedis ad id specialiter delegatis, duntaxat de se querelantibus, de iustitia respondere. Decernentes omnes, & singulos processus, sententias, censuras, & pœnas, quos, & quas per Ordinarios & Inquisitores prædictos, seù eorum aliquem contra Eremitas exemptos. Necnon, Eremitoria, loca, & domos huiusmodi, etiam exempta, vt præfertur, haberi, & promulgari. Necnon quicquid secus super his, ab eis & alio quocumque, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irrita & inania nulliusq; roboris, vel momenti. Non obstantibus contrarijs quibuscumque &c.*

Idipsum concesserunt nobis Paulus III. Pius V. Greg. XIII. Vt habetur supra V. Confirmatio Priuilegiorum. Et Augustinianis. Bonif. VIII. 12. Kal. Febr. sacer ordo. &c. & Clemen VI. 14. Kal. Augusti *Adfructus vberes &c.* Quas Constitutiones Sixtus IV. in eorum Marimagno sub num. 31. & 32. digessit hisce verbis: *Itaquod nec locorum ordinarij, nec vlla quauis persona Ecclesiastica in vos, & ordinem,*

dinem, personas, & Ecclesias, Oratoria, Domos, & loca prædicta, vtpote prorsus exempta possent excommunicationis, suspensionis, aut interdicti promulgare sententias, vel alias potestatem, vel iurisdictionem aliquam exercere, ac omnino irritum, & inane si quid foret in contrarium attentatum. Tamen quia indulto exemptionis non cauetur, & apud vos ratione delicti, seu contractus, aut rei de qua ageretur conueniri minimè valeatis. Vos timentes super hoc forsitam in posterum molestari; Nobis humiliter supplicastis, vt prouidere super hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur, & infra supplicationibus vestris in perpetuum, Auctoritate Apostolica tenore præsentium Indulgemus, vt huiusmodi indulto in suo robore permanente, coram quibusuis Diocesanis, & locorum ordinarijs, ac alijs Iudicibus quibuscumq; ratione delicti, contractus, aut rei de qua agitur conueniri, vel impeti, nullatenus valeatis. fel. rec. Innoc. Papæ IV. Prædecessori nostri, & alijs Constitutionibus Apostolicis, contrarijs non obstant. quibuscumque. Decernentes nunc irritum, & inane, si secus super hoc à quoquam quauis Auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstante præfato cap. Volentes de Priuil. in 6. Fratres nostri conueniri, seu molestari non possunt coram locorum ordinarijs, vel alijs Prælatis Ecclesiasticis perpetrati, aut contractus initi, reiue sitæ, vel positæ, siuè existentis extra eorumdem fratrum loca exempta.

Vltra prædictas concessiones in præcedenti numero enarratas Bened. XI. Minoribus, idem indulsit, Vt in eorum Comp. tit. eod. §. 14. & Martinus V. Ord. Prædic. l. c. § 15. & Rod. qq. regg. To. 2. p. 63. art. 3. Paulus denique V. Carmel. 24. Aug. 1607. apud Nald. V. Religiosus in hæc verba. *Religiosorum suaui Religionis Iugo*, & infra; *Cum itaque*, & infra; *Congreg. Ven. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Trid. Conc. Interpretum, expositum fuerit in Hispaniarum Regnis quosdam Ordinarios locorum contendere, Religiosos intra Claustra degentes coram ipsis Ordinarijs conuenire debere in causis ciuilibus, cap. Volentes de Priuil. in 6. comprehensis propter illius innouationem à Concil. Trid. factam sess. 7. cap. 14. quo præfatos Religiosos intra Claustra degentes in prima instantia coram ipsis conueniri debere ex Decreto eiusdem Conc. Triden. sess. 24. cap. 20. de Reform. Cumq; ab eodem Basilio Procuratore Generali in eadem Congr. supplicatum fuerit, vt supra vtraque re, responsa darent. Ab eadem vero Congr. fuerit responsum; Neque in Constitutione Conc. Lugdunensis adita, quæ incipit. Volentes, neq; Decreto Conc. Trid. cap. 14. sess. 7. comprehendi Regulares;*

Ideoque

Ideoque eos iuxta eorum priuilegia coram suis superioribus, vel Conseruatoribus esse conueniendos. Nec non Decretum eiusdem Conc. Triden. cap. 20. sess. 24. ad Regulares non pertinere, nec eorum Conseruatorias imminuere, nec quoad prioram illarum instantiam aliquid noui inducere. Ipseque Basilius Procurator Generalis nobis suppliciter supplicari fecit, & infra. *Nos illius huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus, & singulis locorum ordinarijs, in virtute Sanctæ Obedientiæ per præsentes districte percipiendo mandamus, ne fratres, & Religiosos dicti Ordinis Carmelitarum contra dispositionem declarationum prædictarum perturbare, vel inquietare, quoquomodo audeant, vel præsumant; irritum nihilominus, & inane decernentes quicquid secus super his à quoquam quauis autoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari &c.* Vide supradicta concordant ijs, quæ conceduntur à Pio V. in Bulla *Etsi Mendicantium* sub num. 8 hisce verbis; *Immò illas, & illos omnes ab eorum superioritate dominio, & iurisdictione, & potestate eximimus, & liberamus, prout eis concessum est per sua Priuilegia à sede præfata obtenta &c.*

ANIMADVERSIO.

PRæfatis Priuilegijs affinia sunt decreta Sac. Congr. Cardd. Concil. Trid. relata à Quar. V. Confessor in hæc verba.

Pro fratribus ordinis Prædic. Prouinciæ terræ laboris Regni Neapolit. die 10. Octobris 1586. lecto in Sacr. Congr. Regularium, & infra, *Tertio ordinarij in cognitionibus causarum fratrum Mendicantium, tam Ciuilium, quam criminalium minimè se se ingerant. Pariter, nec in visitatione eorumdem fratrum, vel Ecclesiarum suarum, nisi quatenus eis per Conc. Trid. decreta conceditur.*

Fr. Micha. Bonellus Card. Alex.

Greg. Palcarius secret.

Et V. Priuilegia Regularium in huncmodum *Congregatio itidem Conc. censuit, Episcopos, aut alios locorum Ordinarios vigore cuiusuis Decreti eiusdem Concilij nullam habere facultatem quouis tempore in Monasterijs, Domibus, & Ecclesijs Regularium exemptorum, quibus non imminet cura animarum personarum secularium visitandi, Sacristias, paramenta, vasa sacra, Altaria, & cetera huiusmodi, aut etiam Tabernaculum, seu pyxidem, in qua Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum asseruatur.*

Hieroymus Card. Mattheius.

Io. Franciscus Fagnanus S. Congr. Secr.

Præfatam declarationem eadem Sacra Congregatio litteris tenoris sequentis ad Archiepiscopum Genuensem datis, confirmauit.

Perillustris, ac Reuerendissime Domine vti frater: Cum actum fuerit in Sacra Congregatione Cardinalium Concilij Trid. interpretum, an liceat Amplitudini tuæ pergere in quasi possessione Ecclesias Regularium visitandi; Illustrissimi Patres perspectis scripturis huic ab amplitudine tua non ita pridem delatis, censuerunt debere eam abstinere ab huiusmodi visitatione Monasteriorum, atque Ecclesiarum Regularium exemptorum, quibus iura animarum secularium non imminet. Itemque Monialium ijsdem Regularibus subiectarum in his, quæ ad ipsarum Clausuram non pertinent. Reliquum est, vt Amplitudo tua Sacræ Congregationis responso prompte quod suis litteris pollicetur, adhæreat, & diu valebit in Domino, quem illi propitium ex animo cupimus. Romæ die 26. Ianuarij. Millesimo sexcentesimo decimo anno.

Cardinalis Lancellottus.

3 Quod si quis aduersus talia priuilegia, Patres, & Fratres nostros vexare tentauerit, præuia canonica monitione excommunicatus ipso facto censetur Nicolaus V. Minoribus, vt in eod. Comp. & tit. §. 18. Extra quam quod absolutio à tali excommunicatione Pontifici reseruatur. Vide Bullam Greg. XIII. *satis superq., &c. die 10. Septembris.* 1584. Soc. Iesu indultam. Et Henriquez lib. 7. de Indulg. cap. 24. num. 3. in tex.

Etiamsi in huiusmodi priuilegijs nulla specialis mentio exemptionis à iurisdictione eorundem ordinariorum esset facta, prout declarauit Paulus V. pro Congregatione S. Mariæ Fuliensis. *Hanc enim Congregationem nonnulli locorũ ordinarij varijs incomodis, & perturbationibus afficiebant. Idcirco ne deinceps super huiusmodi exemptione dubitari contigeret, præfatus Pontifex expressè mandauit, supradictam Congregationem S. Mariæ Fuliensis, sub quouis quæsito colore, seù prætextu ab Episcopis, Archiepiscopis, Prælatis, Abbatibus, Iudicibus Ordinarijs, seu delegatis, legatis Apostolicis, seù quouis alio nomine nuncupatis, in visitando, gubernando, regendo, præcipiendo, corrigendo, aut quemuis alium actum iurisdictionis exercendo, minimè molestari, inquietariq. posse, sed solo Romano Pontifici, illam, & illius Conuentus, Ecclesias, Loca, & personas subiecit, & sub immediatam suam, & Sedis Apostolicæ protectionem, regimen, subiectionem, guberni-*

nium,

nium, & obedientiam recepit, ita quod Episcopi, Archiepiscopi, Ordinarij, Vicarij, Iudices, & Officiales præfati, etiam ratione delicti, aut contractus vel rei, de qua agitur, nullam in eos, & eorum aliquem, aut Monasteria membra, & bona præfata tanquam prorsus exemptas, & exempta, iurisdictionem, correctionem, superioritatem, dominium, vel potestatem exercere, aut excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, & quasuis alias sententias censuras, & pœnas Ecclesiasticas promulgare præsumerent, seù possint, aut debeant, quo quomodo Sedis Apostolicæ delegatis; nisi in literis eis pro tempore directis de præsentibus specialis, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales mentio fiat, ad iudicium euocari, aut quouis modo directè, vel indirectè molestari possint, cum decreto irritante, & clausula sublata aliter iudicandi facultate, remoto vitio obreptionis, ac intentionis, non obstan. quibuscumque in Contrarium forsam facientibus, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ à qua non nisi in articulo mortis, à Romano Pontifice pro tempore existente absolui possint. Insuper dictam congregationem, & illius bona, & personas à solutione decimarum, talijs, aut quouis genere exactionis, etiam prætextu Visitationis, aut transitus exemit, innouans omnia alia priuilegia, exemptiones; vt latius in dictis literis continetur. &c.

4 Vigore priuilegij Sixti IV. Canon. Reg. Later. Concessi 10. Kal. Septembris 1477. *Dum ad vniuersos*; exempti sumus à iurisdictione quorumlibet Sedis Apostolicæ Legatorum de Latere, Nuntiorum, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum quorumuis iudicum ordinariorum, extraordinariorum; immediatèq; subdimur Sedi Apostolicæ hunc in modum; *Congregationem ipsam, illiusq; Monasteria, Ecclesias, & loca qualibet, ac illorum Canonicos, seù personas præsentes, & futuras Vagabundis & fugitiuis exceptis, aut aliter extra ordinem, seù Congregationem ipsam, absq; superiorum licentia commorantibus; quibus nolumus hæ aliqualiter suffragari, à quarumcumq; prædicta Sedis Legatorum, ac eius Nuntiorum, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum quorumcumq; Iudicum Ordinariorum, extraordinariorum iurisdictione, Auctoritate, potestate, dominio, Visitatione, cura, ac Charitatiui subsidij subuentione, & exactionum quarumcumq; præstatione, &c.*

Tale etiam priuilegium indulsit Paulus III. Eremitis Camald. 3. non. Nouemb. 1534. Vt habetur in lib. priuil. Monach. Camald. fol. 126. Bulla, *Rationi congruit, &c.*

Hieroymus Card. Mattheius.

Io. Franciscus Fagnanus S. Congr. Secr.

Præfatam declarationem eadem Sacra Congregatio litteris tenoris sequentis ad Archiepiscopum Genuensem datis, confirmauit.

Perillustris, ac Reuerendissime Domine vti frater: Cum actum fuerit in Sacra Congregatione Cardinalium Concilij Trid. interpretum, an liceat Amplitudini tuæ pergere in quasi possessione Ecclesias Regularium visitandi; Illustrissimi Patres perspectis scripturis huic ab amplitudine tua non ita pridem delatis, censuerunt debere eam abstinere ab huiusmodi visitatione Monasteriorum, atque Ecclesiarum Regularium exemptorum, quibus iura animarum secularium non imminet. Itemque Monialium ijsdem Regularibus subiectarum in his, quæ ad ipsarum Clausuram non pertinent. Reliquum est, vt Amplitudo tua Sacræ Congregationis responso prompte quod suis litteris pollicetur, adhæreat, & diu valebit in Domino, quem illi propitium ex animo cupimus. Romæ die 26. Ianuarij. Millesimo sexcentesimo decimo anno.

Cardinalis Lancellottus.

3 Quod si quis aduersus talia priuilegia, Patres, & Fratres nostros vexare tentauerit, præuia canonica monitione excommunicatus ipso facto censetur Nicolaus V. Minoribus, vt in eod. Comp. & tit. §. 18. Extra quam quod absolutio à tali excommunicatione Pontifici reseruatur. Vide Bullam Greg. XIII. *satis superq; &c. die* 10. *Septembris*. 1584. Soc. Iesu indultam. Et Henriquez lib. 7. de Indulg. cap. 24. num. 3. in tex.

Etiamsi in huiusmodi priuilegijs nulla specialis mentio exemptionis à iurisdictione eorundem ordinariorum esset facta, prout declarauit Paulus V. pro Congregatione S. Mariæ Fuliensis. *Hanc enim Congregationem nonulli locorũ ordinarij varijs incomodis, & perturbationibus afficiebant. Idcirco ne deinceps super huiusmodi exemptione dubitari contigeret, præfatus Pontifex expressè mandauit, supradictam Congregationem S. Mariæ Fuliensis, sub quouis quæsito colore, seù prætextu ab Episcopis, Archiepiscopis, Prælatis, Abbatibus, Iudicibus Ordinarijs, seu delegatis, legatis Apostolicis, seù quouis alio nomine nuncupatis, in visitando, gubernando, regendo, præcipiendo, corrigendo, aut quemuis alium actum iurisdictionis exercendo, minimè molestari, inquietariq; posse, sed soli Romano Pontifici, illam, & illius Conuentus, Ecclesias, Loca, & personas subiecit, & sub immediatam suam, & Sedis Apostolicæ protectionem, regimen, subiectionem, guber-*

nium,

nium, & obedientiam recepit, ita quod Episcopi, Archiepiscopi, Ordinarij, Vicarij, Iudices, & Officiales præfati, etiam ratione delicti, aut contractus vel rei, de qua agitur, nullam in eos, & eorum aliquem, aut Monasteria membra, & bona præfata tanquam prorsus exemptas, & exempta, iurisdictionem, correctionem, superioritatem, dominium, vel potestatem exercere, aut excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, & quasuis alias sententias censuras, & pœnas Ecclesiasticas promulgare præsumerent, seù possint, aut debeant, quo quomodo Sedis Apostolicæ delegatis; nisi in literis eis pro tempore directis de præsentibus specialis, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales mentio fiat, ad iudicium euocari, aut quouis modo directè, vel indirectè molestari possint, cum decreto irritante, & clausula sublata aliter iudicandi facultate, remoto vitio obreptionis, ac intentionis, non obstan. quibuscumque in Contrarium forsam facientibus, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ à qua non nisi in articulo mortis, à Romano Pontifice pro tempore existente absolui possint. Insuper dictam congregationem, & illius bona, & personas à solutione decimarum, talijs, aut quouis genere exactionis, etiam prætextu Visitationis, aut transitus exemit, innouans omnia alia priuilegia, exemptiones; vt latius in dictis literis continetur. &c.

4 Vigore priuilegij Sixti IV. Canon. Reg. Later. Concessi 10. Kal. Septembris 1477. *Dum ad vniuersos*; exempti sumus à iurisdictione quorumlibet Sedis Apostolicæ Legatorum de Latere, Nuntiorum, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum quorumuis iudicum ordinariorum, extraordinariorum; immediatèq; subdimur Sedi Apostolicæ hunc in modum; *Congregationem ipsam, illiusq; Monasteria, Ecclesias, & loca qualibet, ac illorum Canonicos, seù personas præsentes, & futuras Vagabundis & fugitiuis exceptis, aut aliter extra ordinem, seù Congregationem ipsam, absq; superiorum licentia commorantibus; quibus nolumus hæc aliqualiter suffragari, à quarumcumq; prædicta Sedis Legatorum, ac eius Nuntiorum, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum quorumcumq; Iudicum Ordinariorum, extraordinariorum iurisdictione, Auctoritate, potestate, dominio, Visitatione, cura, ac Charitatiui subsidij subuentione, & exactionum quarumcumq; præstatione, &c.*

Tale etiam priuilegium indulsit Paulus III. Eremitis Camald. 3. non. Nouemb. 1534. Vt habetur in lib. priuil. Monach. Camald. fol. 126. Bulla, *Rationi congruit, &c.*

Limita, prædicta priuilegia non procedere in casibus, in quibus Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ delegati, iurisdictionem habent in Regulares; iuxta Decreta Conc. Triden. vt dictum est. Et Constitutionem Clem. VIII. publicatam die 18. Martij 1596. suscepti muneris ratio. Vide Azor. p. 1. lib. 12. cap. 18. illos tamen censuris ligare non posse, quibusdam casibus exceptis. Vide sup. V. Exc. in Animad.

Nec in crimine hæresis, quo Regulares omnes Hæreticæ prauitatis Inquisitoribus subijciuntur; Ex sanctione Pauli V. vt in infra. V. Hæresis. Vide supra V. excommunicatio.

5 Fratres nostræ Congr. à nullo quauis Auctoritate, Ecclesiastica, vel seculari dignitate, auctoritateuè fulgēte, licet Cardinales sint Patriarchæ, Synodi, Communitates, Capitula, Hæreticæ prauitatis Inquisitores, ac Commissarij, vel Iudices, tàm ipsius officij, quàm Ordinarij, seu delegati adigi, vel compelli possunt ad aliquod munus, officium, aut exercitium, etiam in aliorum defectum, nisi de expresso suorum superiorum consensu, mandatoq; Greg. XIII. Soc. Iesu, vt in Comp. Cler. Regg. p. 2. tit. exemptio §. 1.

ANIMADVERSIO.

6 IMmunes etiam sumus ab omnibus Collectis, aut contributionibus, ratione personarum, rerumue, etiam pro refectione. Pontium, murorum, Ecclesiarum; non obstante quauis consuetudine, vel obseruantia in contrarium, siuè priuilegio, aut longissima temporis præscriptione Clem. VII. Militibus Hierosolymitanis. Vt habetur ex to. 2. qq. Regg Rod. q. 63. art. 3. Referturq; in Comp. Soc. Iesu; & Cler. Regg. tit. Priuilegia. §. 4.

Ne verò eiusmodi onera realia, seù personalia imponantur, siuè imposita exigantur, sub pęna excommunicationis à notitia talis priuilegij, incurrenda prohibuit Leo. X. in gratiam Camald. Vt in præcitata Bulla, *Et si à summo*, & infra, *Nulli quoq; Reges, Principes, &c. Rectores, & Officiales Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, & Diœcesum diuersarum Monasterijs, locis Ecclesijs, Castris, possessionibus, & bonis; Necnon Prælatis, & Monachis ipsius Congregationis gabellas, taleas, Datia, collectas, etiam pontium refectionibus, aut viarum reparationibus, aliaue onera, seù grauamina inferre, indicere, & imponere, aut indicta, & imposita exigere, sub excommunicationis, ac maledictionis æternæ pęnis, quas nisi præsentium habita notitia prorsus destiterint, ipso facto incurrant; audeant, vel prę sumant, &c.*

ANI-

ANIMADVERSIO.

NOn obstantibus antedictis concessionibus, exploratum esse debet, ex nouissima Greg. XV. Constitutione, *Inscrutabilis Dei prouidentia. non: Febr.* 1622. Regulares in his, quæ curam Animarum, siuè Sacramentorum, vel bonorum Monasteriorum Monialium, Regularibus subiectarum administrationem, vel ad sacras confessiones earumdem audiendas Confessariorum deputationem concernunt; omnimodè iurisdictioni, visitationi, ac Correctioni Ordinariorum subiacere. Cuius constitutionis tenorem fideliter hoc loco afferre, operę pretium erit, cum nonnulla priuilegia nobis concessa, iuxta huiusmodi constitutionis dispositionem interpretanda sint, ac limitanda.

Hic ponatur Constitutio illa. Inscrutabili.
Dei prouidentia, &c. de verbo ad verbum.
Deinde addantur declarationes aliquot Sacr. Congr. Conc. principium.
Posita constitutione fel. rec. Greg. XV. &c.
Et in fine ponatur etiam casus ille, qui incipit.
Posita constitutione &c. An regularis absq; legitima licentia &c.

EXTREMA VNCTIO.

1 AB Apostolicæ Sedis Nuntio conceditur Monachis S. Benedicti obseruantiæ Hispaniarum, facultas ministrandi Sacramentum extremæ Vnctionis omnibus, & singulis, qui intra septa Monasteriorum ægritudine laborauerint; idque nulla petita licentia Parochi, Episcopi, vel alterius Superioris, apud Collect. Rod. inter Bullas Sixti IV. 42. sub num. 4. & qq. regg. to. 3. quæst. 79. art. 1. Vide Comp. Min. V. Vnctio extrema, §. Nicolaus Francus, & supra V. communicare num. 3.

FAMILIARES.

1 PRo temporis opportunitate, tam die Paschæ, quàm mortis articulo, licitum est nobis, absque vlla speciali licentia, ministrare nostris famulis, qui in habitu laicali actualiter nobis inseruiũt,

Eucharrstiæ, & Extremæ Vnctionis Sacramenta. Necnon sepulturæ munus eisdem impēdere Leo X. Minimis. Non. Iulij 1513. *His, quæ pro fidelium,* & infra, *illaq; omnia, & singula, ad hoc vt fratres Ordinis huiusmodi dictarum domorum, famulorum pro tempore in habitu seculari, eis deseruentium, quoties opus fuerit, etiam Paschatis tempore, & in mortis articulo in eorum domibus, & Ecclesijs huiusmodi confessiones audire, ipsisq;, & eorum cuilibet Eucharistia & extremæ Vnctionis Sacramenta ministrare, ac illis, & cuilibet eorum inhumationis, & sepulturæ beneficia, cuiusuis licentia, super hoc minimè requisita impendere licitè valeant. Ita quod singulæ personæ huiusmodi, & prout dicti fratres priuilegijs, & indultis huiusmodi in eorum mortis articulo frui, & gaudere valeant; ac si eis expressè concessa fuissent, eisdem Auctoritate, & tenore præsentium extendimus, & ampliamus. Non obstantibus quibuscumque &c.* Innoc. VI. Erem. S. Augustini Bul. 1. Sixtus IV. Carmelitis Bulla 37. sub nu. 13. & 31. & Paulus III. Soc. Iesu Bulla 8. sub num. 17. apud Collect. Rod. Vide Suarez to. 4. Relig. tract. 10. lib. 9. cap. 4. nu. 10.

ANIMADVERSIO.

ISTud quoque non modo Conc. Later. sub Leone X. sed etiam Concil. Trid. sess. 24. de Refor. cap. 11. statum habuisse videtur respectu famulorum in locis nostris seruientium, ac sub Prelatorum nostrorum obedientia viuentium. Non tamen respectu familiarium extra Claustra habitantium.

Idem priuilegium, dempta sepultura, elargitus est Pius V. Cler. Regg. Vt habetur in eorum Comp. tit. communicare. §. 3. Vide supra V. communicare num. 2. & 3.

ANIMADVERSIO.

TAmetsi famuli domorum nostrarum, sepulturam in nostris Ecclesijs non elegerint, possunt tamen inibi sepeliri Auct. Rod. Regg. qq. to. 2. quæst. 67. art. 2. Vide in Marimagno Min. num. 9. & Prædic. num. 11.

Qui sanè famuli, nisi interdicto, vel excommunicationi causam, fauorem, auxiliumue dederint; interdici, vel excommunicari ab Ordinarijs minimè poterunt; iuxta Leonis X. declarationem in Conc. Later. sub nu. 17.

Nec

Nec non, si actu nobis inseruierint quamuis mercedis intuitu, secundum Suarez, de Relig. tit. 4. lib. 9. Tract. in cap. 4. Ac sub obedientia nostri Ordinis vixerint, frui poterunt quibusuis priuilegijs nobis concessis, id quod apud Rod. l. c. art. 2. videre est, idem ex concessione Iulij II. Minoribus, elicientem.

Si ter sacrum fiet à nostris pro Anima alicuius familiaris, eius Anima à pœnis Purgatorij subleuabitur. Vide infra V. Indulg. pro Defunctis num. 4.

GABELLA.

1 Immunes sumus à solutione gabellarum, collectarum, cæterisq; huiusmodi oneribus, per Bullam Greg. XIII. allatam in V. Canonica portio; num. 1. Et clarius ex indulto Leonis X. Camald. supra relato, V. exemptio. num. 6.

ANIMADVERSIO.

Gabellam generalem nomen esse, comprehendens omne genus exactionis, & tributi tradit Suarez de censuris, disp. 21. sect. 2. num. 41.

GENERALIS.

1 Vigore concessionis Vrbani V. Minoribus factæ, vt videre est in eorum Comp. tit. eod. §. 4. & tit. Indulg. quoad seculares. Quartò, §. 6. licet Priori Generali communicare suffragia orationum, spiritualium beneficiorum totius nostræ Cong. omnibus personis deuotis, benefactoribus ordinis nostri. Vide Miran. p. 2. quæst. 50. art. 1.

ANIMADVERSIO.

Secluso etiam priuilegio, facultatem habet Generalis cuiuslibet Ordinis communicandi per viam suffragij sacrificia, meritaq; subditorum suorum, vt videre est apud Suarez to. 4. d. 55. nu. 2. post Valdensem, tract. de sacramentalibus, sub tit. 10. idipsum Christi exēplo comprobantem; sicut enim dolores nostros pertulit, & nos inuicem dolores perferre opus est. Quocirca quemadmodum quilibet subditus pro cæteris benefactoribus satisfacere potest; eodem modo

supremus

Supremus Prælatus religionis ius habet ad communicanda huiusmodi suffragia cum quibus maluerit. Affertur à Vald. Iuonis Episcopi Carnotensis, Anselmi, & aliorum Patrum historia, qui per epistolas ad suos benefactores datas, eosdem participes faciebant spiritualium bonorum suarum familiarum, à quibus pias largitiones accipiebant. Scias tamen, Generales Ordinum posse tantum fratrum subditorum satisfactiones alijs applicare; Auctoribus Reginaldo lib. 7. num. 142. Suarez to. 4. d. 55. sect. 5. num. 6. Nec enim in eorum facultate erit applicare alteri satisfactiones subdito necessarias, nisi subditus consentiat; iuxta Nugnum in addit. ad 3. p. D. Tho. quæst. 26. artic. 1. concl. 6. Cordubamq; lib. 5. quæst. 42. de Indulg. vers. secundum dictum est, &c.

Sed cui proderit satisfactio, si subditus eam vni applicet, & Prælatus alteri? Illi sanè cui subditus applicare voluit. Nam subditus in hoc primum locum sibi vendicat; ex traditione Nugni l. c. Bonacinæ de Sacramentis disp. 6. quæst. 1. pun. 3. num. 20. Suarezq; to. 3. disp. 79. sect. 0. vers. sed circa hoc inquiri potest primò, &c.

2 Electo Priore Generali Congregationis nostræ, ipso iure plenam, liberam, & omnimodam habet curam, ac administrationem quarumcumque rerum, & personarum nostri ordinis, durante ipso Regimine Nicolaus V. nostræ Congregationi. *Super gregem Dominicum 3. Kal. Aprilis* 1453. Paulus III. Soc. Iesu, *licet debitum, &c.* num. 1. De qua materia, vide V. Declarare, num. 1. & 4. V. Prior per totum.

3 Quorumlibet instrumentorum, Priuilegiorum, & concessionum Apostolicarum transumpta, exemplariaq;, sigillo Prioris nostri Generalis munita, habent eandem vim, ipsisq; eadem fides omnino præstari debet, ac si plumbi bullio essent obsignata Iulius II. Generali Augustin. *Nihil est* 24. *Septembris* 1508. Infraq;, *Volumus, statuimus, decernimus, vt hac nostra concessio, & quæcumque alia, vel tibi, vel tuo ordini facta, siuè per se, siuè per communicationem, quam fecimus cum alijs ordinibus, & Congregat. eandem omnino vim, & efficaciam habeant, tàm in iudicio, quàm extrà iudicium, ac si plumbeo sigillo obsignata essent; quod intelligi volumus, tàm de his, quæ in forma Breuis, quàm de his, quæ per supplicationes expedita sunt, in quibus placuit, vt sola signatura sufficeret. Quamobrem tàm omnia præmissa, quàm quæcumque alia fuerint tuo ordini vtcumq; concessa, siuè ipsa exemplaria, siuè eorum transumpta ostendantur, Prælati alicuius, aut publici Notarij manu signata, aut etiam Generalis ordinis sigillo*

sigillo firmata; eodem motu, scientia, & potestate decernimus, mandamusq; eandem omnino, & vim esse, & fidem adhiberi, ac si plumbi signum haberent. Quod si quis huic nostro Decreto, ac Concessioni, aut cuiquam aliarum, quæ tuo Ordini, vtcumq; factæ sunt, contraire, aut minus integrè cedere, & parere ausus sit: Volumus, vt eandem pœnam excommunicationis incurrat. Irritum, cassum, atque inane facientes quicquid contra hanc concessionem, aut contra quamcumque aliam vtcumque tuo Ordini factam, etiam quicquid aduersus leges, aut regulam, aut constitutiones, aut definitiones, aut mores ordinis tui, siuè à fratribus, siuè à Congregationibus, siuè à secularibus, siuè ab Ecclesiasticis personis, vel in huncvsq; diem, vel in posterum impetratum, vel attentatum fuerit, etiam si quod ab Apostolica Sede expressè contra hoc quicquid concessum fuerit; Quod omne nullius momenti, & pro infecto haberi volumus, &c. Non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus, &c. Quod si quis his fidem non adhibuerit, aut non plenissimè acquieuerit pęnam subeat, quam supra constituimus; & Dat. &c. apud Rod. in Collect. Vide infra V. Priuilegia num. *6.*

GRADVS.

1 QVicquid somniet Rebuffus praxi benef. tit. de Dispens. cum Regul. facta num. 27. possunt Regulares de consensu suorum superiorum promoueri ad lauream Theologiæ, & iuris Canonici; Cùm nullibi id prohibeatur. Sicuti ex Nauarro, Caiet. & alijs difendit Sanchez lib. *6.* Moral. cap. 14. num. 44. Poterunt etiam promoueri ad Lauream iuris ciuilis, si prius ei operam dederint. Non obstantibus Capp. Non magnopere, & super specula, Ne cler. vel Monach. quibus auditio tantum iuris ciuilis, seù Medicinæ, claustrum exeundo interdicitur Sanch. loco cit. num. 45.]

2 Ex Decreto Innoc. VIII. relato à Rod. qq. regg. to. 2. quæst. 74. art. 3. si Patres Ordinis Prædicatorum Reformatorum, seù de obseruantia Congrationis Hispaniarum, assumpserint gradum in Theologia, ad illud per Capitulum generale dictæ Congregationis minimè expositi; nullius erit valoris. Hæc porrò pęna non extenditur ad cæteros fratres dicti Ordinis non reformatos, neque ad reliquos regulares secundum Sanchez lib. *6.* moral. loco cit. num. 49. Vide supra V. Communicatio priuil. In Animad. post num. 2. in fi.

HABI-

HABITVS.

1 OMnibus, qui nostræ Religionis habitum osculati fuerint, conceditur Indulgentia annorum quinque, & totidem quadragenarum de pęnitentijs iniunctis Io. XXIII. Ordini Prædi. Vt in Comp. Minorum V. Indulgentiæ, quo ad seculares sextò, num. 9. & to. 2. qq. regg. q. 76. art. 11.

2 Qui pietatis intuitu, cum habitu nostri Ordinis verè pęnitentes decesserint, consequentur omnes Indulgentias non plenarias nobis concessas, & participes erunt suffragiorum, pro tempore factorum in Monasterio loci, vbi expirauerint Leo. X. & Adrianus VI. Ordini Sanctissimæ Trinitatis. Vide in Collect. Rod. Bullam Quartam sub Adriano VI. & in Comp. Minorum, V. indulgentia quo ad seculares Quartò, §. 23. & V. communicatio Priuil. §. 39.

3 Morientibus cum habitu nostro, & cum eodem sepeliri mandantibus, conceditur remissio tertiæ partis suorum peccatorum Clem. IV. Minoribus, apud Rod. qq. regg to. 2. quæst. 76. art. 10. quam gratiam eisdem Minoribus confirmauit, & ampliauit Leo X. elargiendo Indulgentiam Plenariam morientibus cum eorum habitu: Ex eius Viuæ vocis oraculo facto Illustrissimo, ac Reuerendissimo D. Christophoro Cardinali Sanctæ Mariæ in Ara cęli Ann. 1517. die 30. Iulij sub num. 40. Et ex qq. l. c.

ANIMADVERSIO.

HAbitus noster dari non potest ijs, qui cum eo elegerint sepeliri, nisi per Priorem Loci, in quo tales mori contigerit; vel per superiorem Prælatum nostræ Congregationis, aut per alium, cui illi censuerint committendum. Ex dispensatione Sixti. IV. in Bulla, *Sacri Prædic. & Minorum Ordines 7. Kal. Augusti.* 1479. Vt in Collect. Rod. in eiusdem qq. regg. l. c. art. 9. Et in Comp. Min. hoc eod. tit. num. 12.

4 Hos autem cum habitu nostro in Ecclesijs nostris sepeliri, etiamsi alibi elegissent impedientes sunt excommunicati. Ita Sixtus IV. Carmelitis in eorum Marimagno sub num. 66. his verbis, *Insuper cum nulli*, & infra, *ordinent eorum Cadauera cum habitu fratrum dicti Ordinis Gloriosissimæ Dei Gen. Mariæ de Monte Carmeli, aut sororum*

rũ Mantelatarũ sepeliri, nec ex illorũ corporũ delatione ad alia loca ordĩni, & fratribus prædictis iniuria irrogetur decernimus tales apud fratres ipsos esse sepeliendos etiamsi alibi suam eligissent sepulturam, nec posse etiam in loco per eos electo, cum habitu prædicto quomodolibet sepeliri, aut ad sepeliendum portari, absque fratrum dictæ Domus, vel loci, in quo tales decesserint expressa licentia & assensu, Contradictores vero excommunicamus.

ANIMADVERSIO.

CONcilium Later. sub Leone X. non obstat quo minus præfato Priuilegio hodie Regulares liberè vti possunt, cum Priuilegia Regularium in eod. Conc. reuocata, per aliqua Summorum Pontificum Diplomata fuerint restituta, dummodo decretis Conc. Trid. haud contraria sint. Vide infra V. Priuilegia in Animad. post num. 7. vers. His adde &c.

HÆREDITAS.

1 MOnasteria, in quibus emittimus professionem, exigere possunt, & retinere omnia bona parentum, aliundeq; iure successionis, seu alio iusto titulo nobis contingentia, ac si in seculo essẽmus. Idq; vigore priuilegij Innocentij IV. Cistersiensibus concessi, & à Pio Secundo relati, 7. Kal. Aug. 1459. *Ad hoc diuina nos.* Quod extat inter Bullas ipsius Inoc. 29. apud Rod. in Collect. Nec non Cle. IV. Prædic. 2. Idus Febr. Pont. sui anno. 1. obtentu *Diuini nominis:* In ead. Collect. & in Comp. Min. eod. Tit. §. 1.

2 Possumus etiam petere, adire, & retinere quamcunque hæreditatem, legata, & fideicommissa, quomodolibet de iure fratribus nostris, vel domibus delata per interpositam personam congregationis nostræ nomine. Leo. X. Camald. Bulla supra citata; *Etsi à summo*, vbi habetur, *Et quod Congregationis huiusmodi Monasteria, & loca hæreditates, legata, & fideicommissa per medias personas Monachorum, aut aliàs qualitercumque ad ea delata, bona mobilia, & immobilia in quibuscumque Ciuitatibus, & locis quouis titulo acquirere, &c.*

Bona verò, quæ ante professionem fratribus nostris debeantur proprio Monasterio acquiruntur Leo X. ibidem, *Ipsiq; Monachi, &*

persona

persona illa pro se, eorumq; Monasterijs petere, & exigere possint, vndecumq;, vel qualitercumq; eis debeant; & quæ petendi, & exigendi si in seculo remansissent, ius haberent, &c.

ANIMADVERSIO.

ILlud nos latere non debet, fratres nostros quamuis per professionem patria potestate liberentur, transeunt enim in potestatem Superioris. Ex Glos. in l. si ex causa, §. Papinianus ff. de Minoribus, tradit Sanchez lib. 5. moral. cap. 5. num. 29. succedunt tamen Patri ab intestato, vt suus hæres; ad mentem Tiraquelli, de vtroque retractu, §. 1. glos. 8. num. 19 quem sequitur Rod. qq. regg. to. 2. quæst. 77. artic. 6.

Neque hæreditas Nouitij decedentis ab intestato, competit nostris Monasterijs; sed ijs, qui succedunt ab intestato, si Nouitius obiret in seculo; prout ex Imola, Abbate, & alijs comprobat Rodericus l. c. art. 8. & Sanchez lib. 7. Mor. cap. 3. num. 92. vbi plures videre poteris limitationes.

Quid si ante ingressum, & non contemplatione ingressus, Nouitius sua bona Monasterio contulisset? Sanchez l. c. cap. 5. num. 2. 3. 4. & si plures DD. auctoritates adducens. Respondet in huiusmodi bonis Monasterium, non autem hæredes ab intestato succedere.

HÆRESIS.

1 ESt illud hoc loco commemorandum ex nouissima Pauli V. Const. *Romanus Pontifex, Kal. Septembris* 1606. Omnes & quascumque facultates superioribus quorumuis Ordinum Regularium concessas, cognoscendi causas suorum subditorum, ad Sanctum Officium Inquisitionis attinentes, omnino fuisse reuocatas, per hæc verba. *Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac matura deliberatione, hac nostra etiam perpetuò valitura constitutione omnia, & quæcunque priuilegia, indulta, facultates, & concessiones, Generalibus superioribus, & Prælatis quorumcumq; ordinum, seu Mendicantium, siuè Clericorum regularium cuiusuis ordinis & instituti etiam in dicta Constitutione non expressorum, & quantumuis exemptorum, & quocumque nomine nuncupentur per dictum Pium, ac quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, & Sedem Apostolicam concessa,*

sa, approbata & innouata, & quantumuis etiam longissimo tempore obseruata, causas ad dictum officium, quouis modo spectantes, cognoscendi & terminandi, seu in illis quoquomodo se intromittendi, quorum omnium & singulorum tenores, etiam si de illis specialis, & expressa mentio habenda esset præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, Apostolica auctoritate, & tenore præsentium perpetuò cassamus, reuocamus, & abolemus; Ipsisq; Generalibus, superioribus, & Prælatis, vt de cætero quouis quæsito colore, vel prætextu præuentionis, vel consuetudinis, & præscriptionis immemorabilis, seu cognoscendi an delationes huiusmodi, calumniæ sint, necne, in eisdem causis, tàm motis, quam mouendis, quoquomodo se intromittere, seu immiscere, denuntiationes recipere, testes examinare, processus conficere, causas ipsas cognoscere, definire, vel terminare minimè audeant, seu præsumant, simili Auctoritate districtius inhibemus. Volentes, & expressè mandantes, vt ipsi religiosi possint, & debeant omnes, etiam Ordinum huiusmodi professores de hæresi suspectos, Inquisitoribus vel Ordinarijs locorum Viciniorsbus liberè denuntiare, absque eo quod superiores prædicti, personas denuntiandas, & causas perquirere, vel quoquomodo id impedire, vel retardare audeant, seu præsumant &c. non obstantibus consuetudinibus, priuilegijs, indultis, Marimagno, cæterisq; contrarijs quibuscunq; Præsens constitutio de verbo ad verbum habetur apud Steph. Quar. Brixiens. impressionis 1607.

Horæ Canonicæ. Vide officium Diuinum.

IEIVNIVM.

1 QVoties tempore Ieiunij ab Ecclesia præcepti, contigit nobis iter facere equitando, manè sumere possumus ientaculum Vespertinum, delata in Vesperum prandio Sixtus IV. Congregationi. S. Iustinæ. Vt in 2. to. qq. regg. quæst. 100. art. 2. in fine. Et Comp. Cler. Reg. p. 1. V. eodem Societ. Iesu indultum esse tradit.

ANIMADVERSIO.

ETiam secluso priuilegio, licere collationem nocturnam, manè sumere, & cænam ad vesperam diferre, aliqua existente rationabili causa qualis est itineris suscipiendi necessitudo, & huiusmodi. Sà. V. Ieiunium, num. 8. Tol. lib. 6. cap. 2. num. 9. Less. lib. 4. cap. 2. dub.

dub.2.num.11.& alij apud Bonac.de leg.disp. vlt. q. 1. pu.3. num.6

2 Ius habemus horam commestionis præueniendi, & postponendi. absque violatione ieiunij, si aliqua iusta causa subsit. Sà l. c. Tol. l.c. num.8. Azor.p.1.lib.7.cap.22.quæst 5.Less.l.c.num.13.in fi.Bonac. l.c.pun.4.num.3. & alij.

ANIMADVERSIO.

PRæciso scandalo, Religiosus à suo Monasterio discedens non tenetur pecularibus obseruantijs, præceptisuè loci, seù Conuentus, in quo veluti hospes reperitur: quia viator non sortitur forum loci per quem transit l. Hæres absens, §. Proinde, ff. de Iudicijs. Videatur Bonac.de leg.disp.1.quæst. 1.pu.6.nu.37.

Illegitimi. Vide V.Disp.nu.7.& subseq. Animad.

IMMVNITAS.

1 QVisquis ad Ecclesias nostri Ordinis confugerit, Ecclesiæ Immunitate gaudebit. Porrò sub nomine Ecclesiæ comprehenduntur etiam Monasteria, Domus, horti, claustra, officinæ, omniaq; loca Congregationis nostræ Innoc. VIII.Ordini Seruorum in eorum Marimagno, edito ann. 1487. 6. Kal. Iunij. Quod incipit, *Apostolicæ Sedis*, & infra, sub num. 26. *Cum insuper ad Ecclesias eorundem fratrum seruorum refugientes à iure, & Apostolicis priuilegijs concessa securitate gaudeant; Et nonnulli in dubium interdum quid Ecclesiæ appellatione contineatur. Ad tale dubium submouendum, Domos ipsorum fratrum Seruorum, cum ortis, ortalicijs, claustris, officinis, & locis omnibus intra illorum ambitum inclusis comprehendi, & dicta immunitate gaudere, qua Ecclesiæ ipsæ gaudent, seù in posterum gaudere, pari motu, & scientia, & Auctoritate declaramus, Immunitatem ipsam, quatenus expediat, ad illa etiam extendentes*, &c.

ANIMADVERSIO.

PRo dilucidatione prænarrati priuilegij, lectorem admonendum iudico; Immunitatem Ecclesiasticam nihil suffragari reis ad Ecclesiam confugientibus, in aliquibus delictis; de quibus hunc in-

modum

modum sancitum fuit per Greg. XIV. 9. Kal. Iulij 1591. *Cùm aliàs*, & infra, *Vt laicis ad Ecclesias, locaq; sacra, & religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumq; grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident; ac viatores ex insidijs aggrediuntur, aut de populatores agrorum, quiue homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesijs, earumue cæmiterijs committere non verentur: aut qui proditoriè proximum suum occiderint; aut Assassini, vel hæresis, aut lesæ Maiestatis in personam ipsiusmet Principis, rei, immunitas Ecclesiastica non suffragetur, &c.*

Non te fugiat Ecclesiarum Regularium Prelatos immunes censeri ab omni irregularitate, siue alia quauis censura ecclesiastica, quoties delinquentes ad sua loca confugientes in casibus à præfata Constitutione enumeratis, Curiæ seculari tradiderint, seu consignauerint quemadmodum animaduertit Confect. tit. 5. cap. 6.

Infideles gaudere hac immunitate, alij aiunt, alij negant, sed nobis distinguendum videtur cum Suarez to. 1. de Relig. tract. 2. lib. 3. cap. 10. à num. 9. vel enim infideles Christiani fieri volunt, vel non, si fieri volunt Christiani, protegendi sunt Ecclesiæ immunitate. Si verò nolunt Christianam fidem profiteri, non sunt protegendi. Nam de his qui foris sunt, nihil ad nos, secundum Apostolum.

Hæreticos ob eorum crimen hæresis, Ecclesiarum Immunitate minimè gaudere certò certius est apud l.c. Cod. de his qui ad Eccles. confug. Simancam de Cathol. instit. cap. 45. num. 21. Suarez l.c. num. 13. Ricciumq; l.c. resol. 489.

Sunt qui negent, Blasphmos tutos esse in Ecclesia quorum opinionem refellit Bonac. de leg. d. 3. q. 7. §. 3. num. 4. scribens, præcisa consuetudine in contrarium, blasphemos ab Ecclesia extrhai non posse à potestate laica; si quidem Immunitas Ecclesiæ fauorabilis est, & ex consequenti non debet restringi, cum in iure non excipiantur blasphemi.

Committentes verò homicidium propè Ecclesiam, si ad aliam Ecclesiam ab ea distante fugam arripuerint, Ecclesiæ Immunitate gaudebunt. Auctore eodem Riccio l. cit. Resol. 585. Quamuis insidiosè rotati sclopi ictu, homicidium perpetratum fuerit ex Baldo, & Claro relatis à Cherubino in suo Tract. Comp. Bullarij; Bulla 7. sub Greg. XIV. in Schol. lege Suarez l.c. cap. 11. num. 12.

An verò Clericus extrahi possit ab Ecclesia per suum Prælatum in illis casibus, in quibus laicus extrahi non potest? controuersum est.

Nos Couar.secuti, Varia. Resolut.lib.2.cap. 20.num.16. Suarezq; l. c.num. 6. profitemur, Prælatum Ecclesiasticum posse clericos a loco Sacro extrahere, etiam in illis casibus in quibus laici extrahi non possunt à iudice seculari. Nam in iure nulla fit mentio clericorum sed tantum laicorum, vt patet ex Const. Gregor. IV. sicque vsu receptum est.

His adde, interdictum etiam ab ingressu Ecclesiæ gaudere eiusdem Immunitate, ad notata per Bonac. l.c. num. 8. Suarez referentem. Nam interdicti censura, non priuat materiali ingressu Ecclesiæ, sed formali, ad Diuina officia celebranda, seù audienda. Necnon excommunicatum, secundum Suarez, l.c.num. 3. & Couaru ibidem num. 11.

Probatur nobis opinio Guttierez, Pract.qq.Ciuilium, lib.3.quæst. 4. qui docet, Ecclesiæ Immunitate non gaudere reum, qui ad carcerem, vel vltimum supplicium ductus, transit per Ecclesiam nec ea egredi vult.

Violatoribus Ecclesiasticæ Immunitatis imposita est pęna excommunicationis Cap.definiuit.Cap.Frater.Cap.Miror 17.quęst.4. quibus locis comminatoriè tantum, & sub conditione, si violator Immunitatis Ecclesiæ non satisfaciat, & reum restituat, videtur imposita. Vt notat Suarez, l.c.cap.13.num. 7. post Syl. V. Immunitas secundò quæst.8. At in constitutione Greg. XIV. extat excommunicatio ipso facto imposita; legimus enim. *Qui contra nostræ constitutionis tenorem attentare præsumpserit; declaramus eum ipso facto, censuras, & pœnas easdem incurrere, quæ contra libertatis, iuris, & Immunitatis Ecclesiasticæ violatores, per Sacros Canones, & Conciliorum generalium nostrorumq; Prædecessorum Constitutiones sunt promulgatæ.* Per hæc autem reijcitur Naldus V. Ecclesia, num. 16. tradens, Violatorem Ecclesiasticæ Immunitatis non esse excommunicatum, sed debere excommunicari.

Cùm ad incurrẽdam pęnam legis requiratur effectus secutus, ex generali consuetudine; certum est, conantem extrahere reum ab Ecclesia, effectu non sęcuto, immunem esse à pęnis per præfatum Gregor. XIV. in huiusmodi Bulla inflictis, prout pluribus comprobat Riccius in sua Praxi. Resol. 488.

IN-

INDVLGENTIÆ QVO AD FRATRES.

OMnes Indulgentiæ quomodolibet per Romanos Pontifices Regularibus concessę reuocatæ fueruntà Paulo V. 23. Maij 1606. sequentesq; in hæc verba concessæ.

Omnibus igitur Christi fidelibus qui Canonicè, & iuxta ordines cuiuslibet Religionis, & Constitutiones Apostolicas habitum regularem à legitimis superioribus causa profitendi in illo susceperint, die primo eorum ingressus in ipsa Religione si verè pęnitentes, & confessi, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, sumpserint, Plenariam.

Ac cuilibet Nouitio, qui pęnitens, & confessus, ac sacra communione refectus post completum probationis annum professionem emiserit, etiam Plenariam.

Necnon cuilibet Religioso intra claustra sui Monasterij viuenti, qui in festo principali sui Ordinis confessus, & sacra communione refectus fuerit, aut Missam recitans pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis solute, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum praeces effuderit, etiam Plenariam.

In cuiuslibet verò mortis articulo, si pariter verè pænitens, & confessus, ac sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiuerit, saltem contritus nomen Iesu ore si potuerit, sin autem corde, deuotè inuocauerit, etiam Plenariam.

Qui verò ad Præsbyteratus ordinem canonicè promotus, & confessus, primam Missam celebrabit; necnon etiam ijs Religiosis, qui pariter confessi, ac sacra communione refecti eidem Missæ interfuerint, aut ipso Die missam similiter celebrabunt, etiam plenariam.

Iis verò qui de suorum Superiorum licentia, à negocijs per decem dies alieni in cella commorabuntur, aut ab aliorum conuersatione separati in piorum librorum, & aliarum rerum spiritualium animos ad deuotionem, & spiritum inducentium lectionibus operam suam dederint, addendo sæpè considerationes, & meditationes mysteriorum fidei Catholicæ, diuinorum beneficiorum quattuor Nouissimorum, Passionis Domini Nostri Iesu Christi, & aliorum exercitiorum, orationum iaculatoriarum, aut vocalium saltem per duas horas in diem, & noctem orationibus mentalibus se se exercendo, faciendo eodem tempore confessionem generalem, aut annualem, vel ordinariam, Sanctissimum Eucharistia Sacramentum sumpserint, aut Missam celebrauerint, quo-

ties pro quolibet prædictorum exercitiorum, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Præterea ijdem Religiosi intra claustra viuentes, qui suam Ecclesiam deuotè visitauerint, & vt præfertur orauerint, consequantur easdem Indulgentias, quas visitantes Ecclesias Vrbis, & extra eam, diebus stationum consequuntur, in omnibus diebus, perinde, ac si ipsas Vrbis Ecclesias personaliter visitauerit.

Omnibus item Religiosis intra Claustra, vt supra viuentibus, qui quinquies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam ante Altare eorum Ecclesiæ in quolibet die, quinque annos, & totidem quadragenas.

Iis verò, qui de suorum superiorum licentia in itinere existentes, aut extra claustra degentes, tanquam Prædicatores, & lectores quinquies eandem Orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam ante quodlibet Altare similiter dixerint, etiam quinque annos, & totidem quadragenas.

Necnon etiam eisdem Religiosis, qui per mensem integrum singulis diebus spacio mediæ horæ orationem mentalem fecerint, ac confessi, & sacra communione vltima Dominica mensis huiusmodi refecti fuerint sexaginta annos, & totidem quadragenas.

Qui verò contrito corde, & pœnitentes eorum culpas, & peccata, ac imperfectiones in capitulis culparum accusabunt, & spiritualiter communicabunt; & exercitium virtutum facient, tres annos, & totidem quadragenas.

Quotiescumq; autem de licentia Summi Pontificis, aut suorum superiorum, in Ditiones, & Terras Infidelium, aut hæreticorum ad Concionandum, aut Catholicos docendum, vel Infideles, & hæreticos ipsos ad fidem Catholicam conuertendum, & Ecclesiæ gremio reducendum missi fuerint, si pœnitentes, & confessi, ac sanctissima communione refecti fuerint, vel missam celebrauerint, vt melius ad huiusmodi opus sese parare valeant, pro duabus vicibus videlicet quando itineri se accingent, & quando in Prouinciam, vbi prædicta opera eis exercenda erunt, ingressi fuerint, Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino pariter concedimus.

Et insuper cum superior in Visitationibus generalibus orationes quadraginta horarum pro bono visitationis progressu collocare voluerit,

rit, ijs Religiosis, qui dictis orationibus saltem spacio duarum horarum in diuerso tempore interfuerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione; necnon disciplinæ, & obseruantiæ regularis augumento, pias ad Deum preces, vt supra dictum est, effuderint, si confessi, & sacra Communione refecti fuerint, aut Missam celebrauerint, Plenariam similiter omnium peccatorum Indulgentiam, & remissionem, vt præfertur concedimus.

Volumus autem, vt omnes prædictæ Indulgentiæ, & gratiæ Religiosis regularibus cuiusuis Ordinis tàm Monastici, quàm Mendicantis duntaxat, vt præfertur concessæ, etiam omnibus Monialibus cuiusuis regulæ approbatæ, & intra claustra cum tribus votis solemnibus viuentibus, & perpetuam clausuram seruantibus, tam ordinarijs locorum, quam etiam regularibus cuiuscunque ordinis, regulæ, & instituti subiectis suffragentur. Præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Cæterum omnes, & singulas indulgentias quibuscũq; Ordinibus, & institutis regularibus huiusmodi, etiam Mendicantibus, & quibuslibet personis regularibus, etiam vigore priuilegiorum & Literarum Apostolicarum, quam viuæ vocis oraculo, aut aliàs quouis modo per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Apostolicam Sedem hactenus concessas, confirmatas, & approbatas, & innouatas Auctoritate, & tenore prædictis perpetuò reuocamus, cassamus, annullamus, & abrogamus, & ad præsentium nostrarum Literarum præscriptum reducimus, & moderamur. Non obstantibus quibusuis constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac eorundem Ordinum, & Institutorum Regularium, etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoq; Indultis, & literis Apostolicis, etiam Maremagnum, & Bulla Aurea nuncupata eisdem Ordinibus, & Institutis, eorumque Monasterijs, Conuentibus, Collegijs, Domibus, superioribus, & personis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis &c. mentio, seu quæuis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisq; contrarijs quibuscunque &c.

ANIMADVERSIO.

ILlud te fugere nullo pacto decet, sub generali concessione indulgentiarum alicuius loci, non comprehendi plenarias, nisi exprimantur, ex regula Cancellariæ, & stylo Curiæ. Nec etiam Indulgentias pro defunctis, nisi expresè addatur; Tam pro viuis, quam pro defunctis. Ita Suarez to.4.disp.53.sect.1. num.7.ex D. Thom.in 4.d.45.q.2.art.3. ad 2. q.

Vtrum Indulgentiæ prænarratæ pluries eodem die, an semel tantum lucri fieri possint, scitu necessarium est. Et quidem si concedantur visitantibus, tali die ecclesiam; semel tantum quæri possunt illo die, pro quo sunt concessæ. Quòd si perpetuò concedantur, videlicet pro quolibet anni die. Sæpius vno, & eodem die quæri possunt. Vide Sà V. Indulgentia, num. 7. Toletum lib. 6. cap. & num. vltimo Nauar. Comen. de indulg. Notab. 31. nù. 37.

Cùm denique priuilegia gratiæ & Indulgentiæ concessæ vni, aut pluribus Domibus Congregationis nostræ, ad omnes, & singulas eiusdem Congregationis Domos de nouo susceptas, & suscipiendas extendantur vigore priuilegij Clemen. VII. Minimis concessi. 22. Septembris 1532. *Deuotionis Augumentum:* Bulla 2. apud Confettium. Idem confirmauit, & de nouo concessit Paul. III. *Regimini militantis. 2. Iulij.* 1540. Vt in libro suorum Priuilegiorum fol 93. indubitati iuris est, Indulgentiam plenariam per Greg. XIII. concessam, Ecclesijs nostris Dominica Quarta Quadragesimę extendi etiam ad Ecclesias nostras post præfatam concessionem, susceptas, & suscipiendas. Vide supra Notab. 3.

Operęprętium erit animaduertere, assertas Indulgentias plenarias lucraturum, si peracta posteriori Confessione, sumptaq; Communione nullum mortale scelus commiserit, nec læthalis culpæ in præcedentibus confessionibus oblitæ conscius extiterit, non teneri actualem confessionem, sacramue Communionem præmittere, ad mentem Nauarri, cæterorumq; apud Comit. lib. 1. Resp. moral. quæst. 39. Nihilominus ad vberiorem pietatem, tutioremq; partem amplectendam, Consultius erit, vtrumq; confessionem scilicet, & communionem præmittere.

Mos est, Romanum Pontificem, ad vberiorem cultum Anni sancti, suspendere quaslibet indulgentias plenarias, etiam perpetuas, vnà

vnà cum facultatibus earum intuitu concessis, absoluendi à casibus Sedi Apostolicæ reseruatis. Pro cuius suspensionis declaratione, abre non erit adnotare cum Nauarro de Iubileo Notab. 33. sub num. 2. Primò, suspendi hic à Pontifice, non tantum Indulgentias plenarias, sed etiam omnia concessa causa earum quærendarum; Cuiusmodi sunt, facultas eligendi confessarium, cum auctoritate absoluendi a casibus reseruatis, & censuris Ecclesiasticis. Vota commutandi, in eisue dispensandi, ac super rebus malè ablatis incertis componendi.

Secundò huiusmodi suspensionem intelligendam esse, tàm respectu secularium, quàm regularium pęnitentium. Ex eod. Nauar. ibidem, num. 3.

Tertiò, neque potestatem eligendi confessarium cum auctoritate absoluendi à casibus, & censuris reseruatis, commutandique vota, vel in eis, ac super rebus malè ablatis incertis dispensandi, caussa quærendi alias indulgentias quàm plenarias, vigore pręnarratæ suspensionis, censeri suspensas; iuxta Nauar. ibidem nu. 2.

Romanum quoq; Pontificem Vrbanum VIII. sæpè declarasse per Bullam Anni Sancti suspendi tantummodo facultatem absoluendi à Casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, concessam occasione lucrandi indulgentiam plenariam; Auctor est Aphonsus de Leone; De potestate, & officio Confessarij tempore Iubilei. p. 1. q. 6. num. 253.

In mortis autem articulo, nullam esse reseruationem liquidò sancitum fuit in Conc. Trid. sess. 14. cap. 7. Proindeq; omnes sacerdotes, quoslibet pęnitentes, à quibusuis peccatis, & censuris tunc temporis ab soluere posse

Cum communicatio bonorum religionis, quæ à Prælatis regularibus concedi solet, non sit indulgentia plenaria; meritò non censebitur suspensa per Bullam Anni Sancti; Idem de indulgentijs non plenarijs; & de indulgentijs plenarijs in mortis articulo, asserit præfatus Alphonsus l. c. num. 232. 226. & 243.

Circa quam suspensionem, sciendum est, Ambiguum videri plerisq; An censeantur suspensæ indulgentiæ in suffragium defunctorum concessæ. Et quidem Franciscus Rodriquez Soc. Iesu, opusc. de Iubileo, & Anno Sancto italicè edito, cap. 3. dub. 4. negatiuam partem probabilem esse tradit. Immo ita declaratum fuisse a Summo Pontifice, non semel anno 1625. ab Vrbe rescriptum affirmat Alphonsus de Leone l. c. num. 248. scilicet Indulgentias etiam plenarias pro defunctis, tàm locales quàm reales & personales nō esse suspensas.

Qui tempore Anni sancti ingreditur religionem; vel in ea professionem emittit, cõsequitur plenam suorum peccatorum remissionem, prout consequeretur si alio tempore ingrederetur religionem; vel in ea profiteretur: quæ sanè remissio non est indulgentia plenaria, cùm non sit ex applicatione Thesauri Ecclesiæ à Summo Pontifice concessa; Sed ex vi, & meritò ipsius operis prouenit. Ita ex Nauar. de Iub. Notab. 20. num. 17. & Sanch. in oper. moral. lib. 5. cap. 5. num. 6. tradit idem Alph. l. c. num. 233.

Scito tamen, supradictas facultates absoluendi, commutandi, dispensandi & componendi, non esse ipso iure suspensas Anno Iubilei, nisi eis expresè derogetur per clausulam derogatoriam: vel aliter constet de opposita Summi Pontificis voluntate. Quod hactenus in Bullis suspensionis indulgentiarum; durante anno sancto obseruatum vidimus.

INDVLGETIÆ QVO AD SECVLARES.

1 Generalis nostræ Congregationis liberè recipere valet ad cõmunionem suffragiorum, aliorumq; bonorum spiritualium Ordinis nostri, omnes benefactores. Vide supra V. Generalis.

2 Quoties famuli nostri proprias conscientias nocte discusserint, conceptoq; dolore pro commissis culpis, cum proposito easdem confitendi, Dominicam Orationem, & Angelicam Salutationem, pro felici statu S. R. E. tribus vicibus recitauerint, vnum annum, cum vna quadragena pro pœnitentijs iniunctis adipiscentur.

3 Eodem modo, si præmissa confessione, Sanctissimam Eucharistiam sumpserint, ter oratione Dominica, & salutatione Angelica recitatis, plenariam suorum peccatorum indulgentiam obtinebunt. Qua etiam indulgentia vti, ac potiri valebunt, si nomen Iesu voce, vel in eius defectum corde saltem, ter inuocauerint. Greg. XIII. Congregationi Sancti Benedicti Vallisoleti. Die 27. Ianuarij. 1580. vt infra V. Indulgentiæ pro defunctis nu. 4.

4 Quicumq; nostræ Congregationis habitum osculati fuerint, vel cum ipso verè pœnitentes decesserint, aut cum eodem sepeliri mandauerint, quasdam peccatorum suorum indulgentias, etiam plenarias consequentur. Vide supra V. Habitus.

INDVLGENTIÆ PRO DEFVNCTIS.

1 EX declaratione S. Congregationis facta Illustrissimo Cardinali Bandino 23. Februarij 1609. Indulgentiæ pro defunctis Regularibus concessæ vnà cum priuilegijs, non censentur reuocatæ per Const. Pauli V. 23. Maij. 1606. editam, sed adhuc vigent in suo robore. Vt habetur ex p. 1. Comp. Cler. Regg.

2 Quando secunda, & quarta feria, pro defunctis sacrum facimus, easdem indulgentias pro eorum animabus lucramur, quæ conceduntur celebrantibus in Ecclesijs S. Sebastiani, S. Laurentij, scalæ cæli, S. Gregorij, Sanctæ Pudentianæ intra, ac extrà Vrbis muros Clem. VII. Minimis, vt habetur ex Litteris Card. SS. Quatuor Coronatorum, 10. Iulij. 1524. apud Rodericum tenoris sequentis. *Nos Laurentius Episcopus Albanensis S. R. E. Cardinalis Sanctorum Quatuor Coronatorum, ac Maior pœnitentiarius, Vniuersis, & singulis Christi fidelibus, præsentes Litteras nostras inspecturis, fidem facimus, & attestamur. Qualiter Sanctiss. in Christo Pater, & D. N. D. Clemens Diuina Prouidentia Papa Septimus ad humiles preces nostras, dilectis nobis in Christo Venerabilibus Religiosis, Correctori Domus Sanctissimæ Trinitatis de Vrbe, Ordinis Minimorum Sancti Francisci de Paula, alijs Fratribus Domus Sanctissimæ Trinitatis duntaxat, Generali verò, ac Zeloso necnon Prouincialibus, & Localibus Correctoribus, & alijs Superioribus Ordinis, etiam pro tempore existentibus, ac vniuersis cuilibet ipsorum, secundum Religionis ingressum, antiquiori socio, vbicumq; se transferre, ex merito obedientiæ contigerit, vt singulis secundis, & quartis ferijs cuiuslibet hebdomadæ totius anni Missas pro Animabus defunctorum celebrare volentes, easdem Indulgentias pro animabus defunctorum huiusmodi consequantur, ac si in Ecclesijs S. Sebastiani, Laurentij, & scalæ cæli etiam Gregorij, & Potentianæ extrà, & intrà muros Almæ Vrbis celebrassent, ac parimodo Missæ huiusmodi, animabus defunctorum, pro quibus eas celebrandas duxerint, suffragentur, perinde, ac si in præfatis, & alijs quibuscunque, etiam qualitercumq; priuilegiatis Ecclesijs intrà, & extrà muros Vrbis celebrassent, facto nobis desuper Viuæ vocis oraculo concessit pariter, atque indulsit, præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis, & in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunq;. In quorum omnium fidem &c.*

3 Con-

3 Conceditur nobis ter sacrum faciendo pro Anima cuiusuis nostris Consanguinei intrà tertium gradum, super Altare per superiorem in propria Ecclesia assignando, ipsius animam à pœnis purgatorij liberare, perinde, ac per nos celebratum esset ad Altare Sancti Gregorij, seù Sancti Sebastiani Vrbis. Vt colligitur ex Capuccino. V. Indulgentiæ quo ad fratres vers. Leo X. concessit.

4 Conceditur item nostris Præsbyteris, liberare animam cuiuslibet fidelis ex nostræ Congregationis fratribus, famulis, alijsq; suffragiorum nostrorum participantibus, de pœnis purgatorij, sacrum faciendo, iuxta indultum Greg. XIII. Congregationi S. Benedicti Vallisoleti, die 27. Ianuarij. 1580. apud Rod. in Collect. concessum, in hæc verba. *Quod fidelium Animarum*, & infra; *Omnibus, & singulis dicta Congregationis Abbatibus, Abbatissis, Monachis, & Monialibus, conuersis, seù donatis, Nouitijs, ac ijs, qui in Monasterijs dicta Congregationis diseruierint; necnon alijs, quos fratres, & sorores vocant, qui admissi sunt, & in posterum admittentur ad participationem orationum, ac suffragiorum, nec non reliquorum bonorum operum, quæ in ipsa Congregatione pro tempore ad Diuini nominis gloriam fiunt, qui singulis noctibus proprias conscientias examinantes, ac peccata sua agnoscentes, de commissis per eos ab intimis doluerint, ac à Deo propterea veniam humiliter petierint; animo gerentes propositum firmum illa statuto tempore confitendi, ac ter orationem Dominicam, & ter salutationem Angelicam pro Romani Pontificis, ac S. R. E. felici statu recitauerint, vnum annum, & vnam quadragenam de eis iniunctis, seù aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs, misericorditer in Domino relaxamus.*

Necnon quilibet ex supradictis, qui verè pœnitens, & confessus semel singulis Mensibus post sumptum per eum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, ter orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam deuotè, supradicta ratione recitauerint, ac in articulo mortis constitutus Nomen Iesu ter voce, vel saltem corde, cùm ore non potuerit, innocauerit, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, Apostolica auctoritate, tenore præsentium elargimur.

Concedimus quoque, vt quoties tres missæ pro anima alicuius ex supradictis, qui Deo in Charitate coniuncta ab hac luce migrauerit celebrabuntur, ipsa de Thesauro Ecclesiæ Indulgentiam consequatur, quatenus Domini Nostri Iesu Christi, & Beatissimæ Virginis Mariæ, ac

Beatorum

Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum prædictorum; aliorumque omnium sanctorum meritis suffragantibus; à purgatorij pœnis liberetur &c.

Clemens quoque VIII. talem concessionem elargitus est. *De omnium salute paterna charitate soliciti*, infra, *supplicationibus igitur pro parte dictorum filiorum Ministri Prouincialis, & fratrum Prouinciæ Sancti Gabrielis Hispaniarum Ordinis Sancti Francisci discalceatorum nuncupatorum, nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, ac de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi*.

Concedimus, vt decedenti aliquo dicti Ordinis Religioso, vel alicuius Religiosi parentibus, vel altero ipsorum, aut persona, quam ipsi Religiosi fratrem appellant, & in quolibet loco dictæ Prouinciæ ad eorum receptaculum, & subuentionem paratam habent ab aliquo, seu aliquibus eius Conuentus, in quo Religiosi parentes, vel alter ipsorum decesserit, vel persona præfata in fratrem descripta fuerit, missam Defunctorum pro anima ipsius Defuncti, quæ Deo in Charitate coniuncta, ab hac luce migrauerit celebrante, seu celebrantibus anima ipsa de Thesauro Ecclesiæ Indulgentiam consequatur, ita vt D. N. Iesu Christi, ac Beatissimæ Virginis Mariæ, & Sanctorum omnium meritis sibi suffragantibus à Purgatorij pœnis liberetur in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunq; Dat. Romæ die 20. Iunij 1596. Vt videre est in Collect. Rod.

ANIMADVERSIO.

VErissima est Nauarri Doctrina, consi. 37. de pœnit. & remiss. dicentis, indulgentiam per modum suffragij concessam Animæ, pro qua missa celebrabitur, non exigere vnam Missam magis, quàm aliam, sed quamlibet Missam sufficere, siuè illa sit de sancto, siuè de feria, aut pro Defunctis.

INFIRMI.

1 TAm infirmi, quàm senio confecti nostræ Congregationis, qui pro lucrandis indulgentijs à Paulo V. Regularibus concessis; Ecclesiam visitare non valent; habent facultatem illas in proprio lectulo consequendi, dummodo aliquod opus pium, arbitrio Confes-

Confessarij peragat. Paulus V. Congregationi S. Mariæ Fulien. 1609. Vt in p. 1. Comp. Cler. regg. §. 1.

2 Temporis Infirmitatis, permittitur ægris nostræ Congregationis, maribus, ac fęminis audire sacrum in proprijs cubiculis, celebrandum super Altare portatili in loco decenti, & honesto. Necnon Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum percipere, absq; vlla ordinariorum locorum licentia. Pius IV. Congr. Can. Later. 18. Maij. 1565. in hæc verba. *Exponi nobis nuper fecistis*, & infra, *Nos igitur cupientes singularum personarum, præsertim sub suaui iugo religionis Altissimo famulantium, & infirmitatibus, vt præfertur, detentarum, deuotione, ac spirituali consolatione, quantum cum Deo possumus paternè prouidere, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, omnibus & singulis quorumcumque tàm virorum, quàm mulierum Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, & aliorum Locorum regularium Congregationis, & Ordinis huiusmodi vtriusque sexus personis, quibusuis Infirmitatibus pro tempore detentis, quibus ob huiusmodi Infirmitates, vel per Medicum, aut superiorem suum, è cubilibus suis exire prohibitum fuerit, vt durantibus ipsis infirmitatibus tantùm, missam in proprio cubiculo super Altare portatili, in loco tamen decenti, & honesto per aliquem Præsbyterum per eos iuxta suum libitum eligendum, celebrari facere, illiq; interesse, & eam etiam in ipsorum cubilibus iacentes audire: Sacrosanctumq; Eucharistiæ Sacramentum, confessi, & contriti, sumere liberè, & licitè possint; Ordinariorum Locorum, seu quorumuis aliorum licentia desuper minimè requisita, auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, pariter, & indulgemus, illisq;, ac præsbytero sic per eos eligendo Missam huiusmodi respectiuè audiendi, ac celebrandi, plenam, & liberam licentiam, & facultatem impartimur. Non obstantibus quibusuis Apostolicis, necnon in prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis generalibus, vel spetialibus constitutionibus, & ordinationibus, statutisq; & Consuetudinibus, &c. cæterisq; contrarijs quibuscumq; &c.* Vt latius habetur in Comp. priuil. eiusdem Congregationis pag. 535.

3 Infirmi Congregationis nostræ, super ieiunijs, & cibis ab Ecclesia interdictis à superioribus nostris dispensari possunt &c. Vide supra V. Dispensatio num. 11.

INTER-

INTERDICTVM.

1 Nisi vniuersa Ciuitas, seù oppidum, in quibus Monasteria nostra sita sunt; Ecclesiastico supponantur interdicto; non possunt Ecclesiæ Ordinis nostri interdici, cuiusuis personæ intuitu, licèt Cardinalatus honore, vel alia quacunque dignitate fulgeat: Nec per sacri Palatij Auditorem, aliosue quoscunque Iudices: quod si secus factum fuerit, fratres in eiusmodi Monasterijs commorantes immunes erunt ab obseruatione talis interdicti. Leo. X. Min. vt in Collect. Rod. 23. Iulij. 1519. *Cum sancta regula*, & infra; *Nos huiusmodi honestis supplicationibus inclinati, vobis, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, Ecclesiæ domorum vestri Ordinis ad cuiuscumque personæ, etiam Cardinalatus honore, vel alia fulgentis dignitate instantiam per Auditores causarum Sacri Palatij, seù eorum locatenentes, aut quoscunque alios Iudices, seù ordinaria, ac etiam nisi tota Ciuitas, vel oppidum, vbi domus huiusmodi consistit. Apostolicis auctoritatibus, aut ex speciali commissione, manu propria Pontificis signata, & in publica signatura proposita, ecclesiastico supponatur interdicto, interdici non possint, ac quod in eis degentes fratres, ad ipsius interdicti obseruationem minimè teneantur nec propterea irregularitatis maculam, aut aliquas sententias, censuras, & pœnas incurrere debeant. Quodq; vobis (dummodo causam non dederitis interdicto huiusmodi) vt ianuis apertis, & campanis pulsatis, missa, & alia Diuina officia celebrare valeatis, nisi persona ad cuius instantiam interdictum fuerit appositum in eisdem domibus degentibus fratribus, de alimentis, & alijs victui necessarijs rebus competenter prouideri fecerit, auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus, &c. Non obstant. præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrarijs quibuscunq;.*

2 Interdicti tempore, aut cessationis à Diuinis Ianuis apertis, & pulsatis campanis, exclusisquè nominatim interdictis, aut excommunicatis, permittitur nobis, Missas, Processiones, aliaq; Diuina officia solemniter celebrare, sequentibus diebus, videlicet Conceptionis, Natiuitatis, & Visitationis Beatissimæ Virginis. Natiuitatis Sancti Ioan. Baptistæ, S. Patris Hieronymi nostri Ordinis Patroni, Sanctorum Sanctarumq; omnium, quorum quarumq; Inuocationibus Ecclesiæ nostræ dicatæ sunt, vel quorum quarumq; corpora in eisdem

dem Ecclesijs reposita habentur, ac etiam per octauas præfatarum festiuitatum, Hebdomadæ quoque Sanctæ, & Resurrectionis Dominicæ: Necnon quandocumq; Nouitij nostri professionem emiserint, vel defunctorum corpora sepelire opus fuerit, si tamen interdicto causam non dederint, neque eis specialiter interdici contigerit. Leo. X. Monachis Sancti Benedicti Vallis oleti. 22. Martij 1521. *Sanè Religionis sinceritas*, & infra, *Hinc est, quod nos eiusdem Generalis, & aliorum Abbatum Priorum, Abbatissarum, Monachorum, & Monialium in hac parte, deuotis supplicationibus inclinati præfatis, & pro tempore existentibus*, & infra, *vt in conceptione, & Visitatione Beatissimæ Virginis Mariæ; & eiusdem Virginis, & Sancti Io. Baptistæ Natiuitatibus; necnon Sanctorum Benedicti Abbatis, Martini Episcopi, & Confessoris transitu, & translatione, ac sanctorum Gregorij Papæ, &c.* & infra; *Necnon in quorumcumque aliorum sanctorum, & Sanctarum, sub quorum inuocationibus, Monasteriorum, Prioratuum, & locorum vtriusque sexus dicti Ordinis, & Congregationis dedicata, & constructa, seu quorum corpora in ipsis ecclesijs recondita, respectiuè existunt. Necnon Hebdomadarum Sanctæ, & Resurrectionis Dominicæ festiuitatibus, & per octauas earundem omnium supradictarum festiuitatum. Necnon quoties Monachi, & aliæ vtriusque sexus religiosæ personæ dicti Ordinis, & Congregationis, professionem emiserint, aut primam missam celebrauerint, seu eos in Ecclesijs, vel cæmeterijs Monasteriorum Prioratuum, & aliorum locorum dicti Ordinis, & congregationis humana cadauera ecclesiasticæ tradere sepulturæ contigerit tempore interdicti, & cessationis à Diuinis, quacumque auctoritate etiam Apostolica, appositorum, dummodum huiusmodi interdicto causam non dederint, nec id eis specialiter contigerit interdici, apertis ianuis, pulsatis campanis, nominatim interdictis, & excommunicatis exclusis, Missas, processiones, & alia Diuina Officia solemniter & in cantu celebrare. Quodque Monachi, Moniales, Conuersi & Conuersæ, Nouitij, & Nouitiæ, ac oblati, Donati, Seruitores, & Seruitrices singulorum vtriusque sexus Monasteriorum, Prioratuum, & Locorum prædictorum eorundem, interdicti, & cessationis à Diuinis tempore, Eucharistiam, & alia Ecclesiastica Sacramenta, absque alicuius censuræ, seu pœnæ incursu, recipere, ac ipsi Monachi quibuscumque personis cum prædicta solemnitate à primis dictarum festiuitatum Vesperis, vsq. ad occasum solis, vltimis octauarum huiusmodi dierum celebrare, recipere, ac dare, liberè, & licitè possint, & valeant,*

dummodo

dummodo ipsi, vel eorum aliquis Interdicti causam non dederint, nec eis specialiter contigerit interdici, Auctoritate Apostolica, tenore praesentium, de speciali dono gratiae perpetuo concedimus, & indulgemus. & infra; *Non obstantibus quibuscunque Apostolicis, ac in prouincialibus, & synodalibus Concilijs editis, generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac statutis, & consuetudinibus Ecclesiarum, & diaeces.* Et infra; *caeterisq; contrarijs quibuscunque &c.* Vt habetur in Collect. Rod. Et in Comp. Min. V. interdictum 2. num. 10.

Supradictis porrò diebus, illa omnia facere nobis licet, quae remoto interdicto fieri solent. Leo. X. Minoribus, vt in eiusdem oraculis num. 7. Vt habetur ex litteris Laurentij Cardinalis Sanctorum Quatuor Coronatorum datis die 4. Aprilis. 1516. Et in Comp. citato nu. 7. Capucc. V. Interdictum 3. à vers. Tertiodecimo, vsq; ad vers. vigesimo primo.

ANIMADVERSIO.

Plura notatu digna occurrunt. Primò, Praelatos Religionum, posse quidem suos subditos interdicere; non tamen Ecclesiam, vel locum, nisi habeant iurisdictionem Ecclesiasticam in foro externo, in aliquod oppidum, aut Castrum. Sot 4. sent. dist. 22. quaest. 3. art. 1. concl. 2. Auila de interd. disp. 2. concl. 1.

Secundò, Religiosos Mendicantes, interdicti tempore, recipere posse extremam vnctionem: Vt habetur in Comp. Minorum: V. vnctio extrema, vbi hoc priuilegium ad certas quasdam personas extenditur. Eodem priuilegio gaudent Patres Soc. Iesu; vt in eorum Comp. V. extrema vnctio, traditq; Auila, l. c. disp. 4. sect. 1. sub. 7.

Tertiò, quamuis Nauarrus in Manu. cap. 27. num. 190. dixerit, Regularium priuilegia ad interdictum attinentia, cùm iuri communi aduersentur, sublata fuisse per Concil. Triden. sess. 25. cap. vltimo de Regul. Idque post reuocationem Bullę Pij V. *Etsi Mendicantium*, factam à Greg. XIII. *In tanta negotiorum. Anno 1. sui Pontif.* per quam omnia annullauit, quae erant contra Concil. Trid. oppositum tamen verius videtur Capuccino, in Comp. Min. V. Interdictum 3. Annot. 1. & Medinae in summa lib. 1. cap. 11. §. 13. scribenti, posse Medicantes in festis suorum Ordinum suspendere Interdictum, etiam post Conc. & alijs temporibus, secundum priuilegia eis indulta. Priuilegia verò per Conc. l. c. reuocata fuisse, tantum. De interdicto nullo

modo

modo seruando, tametsi ab Ecclesia Matrice seruaretur, eiusmodi erant priuilegia Alex. III.& IV.Clemen. III.& IV. concessa Militibus Hierosolymitanis, & Leonis X. Minimis Fratribus.

Quartò, eos qui interdicti tempore de iure communi admitti possunt ad Diuina Officia, ac sine pompa,& solemnitate sepeliri; esse clericos, ac etiam qui ea facultate gaudent, vt ipsi vnà cum suis familiaribus absque fraude receptis ad talia officia audienda, celebrandaq; admitti possint. Familiarium verò, ac domesticorum nomine, intelliguntur, qui eos de more comitari consueuerunt. Auctore Capuccino, l. c. §. Quartò, si qui tempore,&c.

Quintò, pleraq; esse priuilegia, quibus fratres Mendicantes eorumque priuilegiorum participantes, tempore interdicti gaudere possunt. Horum compillationem refert Capuccinus l. c. ad quem lectorem, breuitatis causa, relegamus.

3 Diebus Circumcisionis, Ascensionis Domini, Pentecostes, & Quattuor Festiuitatum B. Virginis, omnium Apostolorum, Sancti Patris Hieronymi, Dedicationumq; Ecclesiarum nostrarum, à primis Vesperis vsque ad completorium diei sequentis inclusiuè, licet nobis tempore interdicti, à quouis positi, celebrare Diuina officia in Ecclesijs nostris, reseratis Ianuis, & alta voce, dummodo causam interdicto non exhibuerimus. Pius IV. Monachis S. Patris Hieronymi, vt habetur apud Rod.qq. regg.to.2.quæst. 112. art.2.

4 Præfatum priuilegium eisdem Monachis confirmatum fuit à Pio V. 16. Kal. Februarij. 1565. ac etiam 23. Decembris 1567. ad festa Sanctissimæ Trinitatis, Sancti Augustini, Sanctæ Paulæ omniumq; sanctorum extensum. Necnon ad Missam,& processionem commemorationis omnium fidelium defunctorum. Et ad diem obitus fratrum nostrorum, quo ad missam,& officium publicè pro eis celebranda. Concessitq; vt omnes fideles prædictis officijs liberè, ac licitè interesse possint. Vt habet Rod. ibidem.

ANIMADVERSIO.

Licet in duobus priuilegijs proximè citatis nulla Sacramentorum administrandorum mentio fiat nihilominus vigore concessionis pro minoribus factæ à Leone X. supra num. 2. & pro Soc. Iesu à Paulo III. in allata Bulla, *Licet debitum*, nu. 16. & nobis integrè administrare fas erit supradictis diebus.

5 Duran-

5 Durante Interdicto, facultatem habemus admittendi in nostris Ecclesijs ad Missam, & alia Diuina officia audienda, omnes familiares negotiorum gestorum officiales, procuratores, operarios, ac quosuis Monasteriorum nostrorum famulos; eisque quælibet Ecclesiastica sacramenta administrandi, Alex. IV. Minoribus, Const. *Vt in vestris domibus: V. Kal. Iulij, anno primo sui Pontif.* Et Innoc. VI. Augusti. Constitutione, *Religionis fauor. 17. Kal. Ianuarij, anno primo sui Pontificatus.* Paulus III. Soc. Iesu, Bulla citata, *licet debitum*, sub num. 18. hisce verbis. *Si quando in terris, in quibus socij prædicti, vel eorum aliqui pro tempore resederint, vel in eorum personas excommunicationes, seu Interdicti sententias contigerit promulgari, pueri, seu familiares eorundem sociorum seruitijs deputati, ac eorum, & Societatis huiusmodi negotioru procuratores, & operarij huiusmodi sententijs obnoxij minime habeantur, ibiq; possunt audire Diuina, nisi eisde causa dederint, vel specialiter excomunicari, seu interdici cotigerit eosde, &c.*

6 Quoties ponitur generale, vel speciale interdictum, ac etiam tempore cessationis à Diuinis, conceditur nobis eligere sex personas, inter mares, & fœminas successiuè, qui Diuinis officijs, ac Missis in nostris Ecclesijs interesse possunt, omniaq; sacramenta percipere. Nicolaus V. Ord. Sancti Benedicti, ex Collect. Rod. in litteris Card. Episcopi Prænestinis. summi Pœnitentiarij. 2. Kal. April. anno primo sui Pontif. Vbi legimus, *Nos igitur*, & infra, *auctoritate Domini N. Papę cuius pœnitentiariæ curam gerimus, & de eius speciali mandato, super hoc viuæ vocis oraculo nobis facto, vt tu; & tui successores Priores in dicto Monasterio pro tempore existentes, sex personas inter viros, & mulieres successiuè eligere possitis, quæ personæ in tempore Interdicti generalis, seu specialis, aut quo cessatur à Diuinis in dicto Monasterio quando missæ, & alia Diuina officia audire, & illis interesse, ac in ipso Monasterio dicto tempore Ecclesiastica recipere sacramenta, & si aliqua ipsarum sex personarum, interim mori contigerit, sepeliri in ecclesiastica sepultura valeant sine tamen solemnitatibus; dum modum tu, vel aliqua dictarum sex personarum, seu tui successores, vel aliquis ipsorum dicto interdicto, seu cessationi à Diuinis causam non dederitis, seu dederit, & ipsum interdictum non sit positum, aut confirmatum auctoritate Apostolica, tibi, & tuis successoribus, ac dictis personis, liberam concedimus licentiam, & facultatem tecum, & cum dictis tuis successoribus, ac cum ipsis sex personis, tenore præsentium misericorditer dispensamus, Dat. &c.*

K Quæ

Quæ sanè locum habent, dum modo personæ electæ caussam non præstiterint interdicto, vel cessationi à Diuinis; & huiusmodi Interdictum, non sit auctoritate Apostolica latum, aut confirmatum.

Anno item 1478. concessum fuit præfato Ordini Sancti Benedicti per Nicolaum Francum Legatum à latere Sixti IV. tempore interdicti, posse quotidie ad missas, & alia Diuina officia audiendas admittere quindecim personas, quæ nullam interdicto caussam dederint; Vt habetur ex litteris ipsius legati apud Collect. Rod. sub Sixto IV. Bulla 44. Et in Comp. Minorum interdictum 1. num. 24.

In forma autem obseruationis, nullũ reperiri discrimẽ inter quodlibet interdictum, & cessationem à Diuinis; declaratum, & concessum fuit à Leone X. Minoribus, haberturq; in eius oraculis num. 8. vt testantur litteræ Laurentij Cardinalis Sanctorum Quattuor Coronatorum, die 15. Aprilis 1516. Et Comp. eorundem, interdictum 1. num. 17.

ANIMADVERSIO.

Locum habet asserta declaratio, & concessio inter fratres, & domos nostras tantum, non autem cum secularibus. Et Capucc. interdictum 3. vers. *In cessatione autem*, & vers. *Item Leo X.*

Præfatæ verò concessiones, & quæ vulgò solent fieri, referuntur tantum ad interdictum generale, nisi aliud per priuilegium specialiter concedatur; ad mentem Collectoris Comp. Minorum interdictum 3. not. *Primò ergo sciendum est, &c.*

7 Quicquid conceditur nobis tempore Generalis interdicti, illud etiam pro speciali interdicto censetur concessum. Iulius II. Augustin. 30. Iunij. 1508. apud Collect. Rod. hisce verbis. *Volumus denique, & statuimus, vt quæ Ordini vestro generalis interdicti concessa sunt, ea omnia in speciali interdicto concessa esse, in quo licere vobis volumus eadem omnia, quæ in generali licere dictum est.*

ANIMADVERSIO.

Singularis, dignoq; notatu, videtur præfata concessio in hac materia; Siquidem quoties per ius commune nonnullis diebus suspenditur interdictum: talis suspensio non se extendit ad Ecclesias, & personas specialiter interdictas; quare celebrantes in illis efficerent

rent irregulares. Id quod per hanc concessionem cessare manifestum est; secundum Capuc. interdictum 3. vers. *Decimò Iulius. II.*

ITINERANTES.

VIde Absolutio. Quoad FF. num. 4. & V. Ieiunium in Animaduers.

LEGATA.

VIde V. Commutatio, num. 4.

MEDICI.

1 QVisquis ex nostris Fratribus, Medicinæ peritus fuerit, remoto quocumque scrupulo, nihilque censuris, & pęnis ecclesiasticis impedientibus, de licentia sui superioris, quibuscumque tàm regularibus quàm secularibus mederi possint; Tenetur tamen ab incesione, & adustione cauere; Quoties Medici secularis copia commodè haberi non potest. Gregor. XIII. Soc. Iesu, 11. Februarij. 1576. *Vnigeniti*, & infra, *Vt igitur religiosi præfati id absque aliquarum censurarum, seù pœnarum incursu, & conscientiæ scrupulo, valeant exercere: omnibus & singulis præfatę Soc. Iesu religiosis Medicina peritis, nunc, vel in futurum pro tempore existentibus, vt de suorum superiorum licentia, quibuscumq; personis infirmis, siuè illæ eiusdem Societ. religiosi, siuè extranei, & seculares fuerint, absque aliquo conscientiæ scrupulo, aut aliquarum censurarum, & sententiarum Ecclesiasticarum, vel aliarum pęnarum incursu; citra tamen adustionem, & incessionem, per se ipsos faciendam, mederi liberè, & licitè valeant. Apostolica auctoritate tenore præsentium: quando tamen Medici seculares commodè haberi non possunt, Indulgemus, & impartimur. Non obstantibus quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrarijs quibuscumq;.*

MISSA.

1 PErmittitur nobis habere in locis nostri oratoria, vbi super Altare portatili Missam, aliaq; Diuina officia celebrare, tàm no-

bis, quàm etiam exteris sacerdotibus licet prout ex Suarez refert Rod. to. 1. regg. qq. quæst. 43. art. 4. Idque vigore priuilegij Soc. Iesu, concessi à Greg. XIII. *Decet Romanum Pontif.* 3. *Maij* 1575. Nec vlla exigitur Episcopi licentia, secundum Concil. Trid. Cui derogatum fuit ibi loci à Pontif. Satis autem erit Prioris Generalis, seù Prouincialis facultas, dummodo huiusmodi oratoria Diuino tantum cultui emancipata existant. Vide etiam Reginald. lib. 29. nu. 178.

ANIMADVERSIO.

ELicitur ex Reginaldo l. c. num. 189. in Altari portatili, curandum omnino esse, vt tantæ existat longitudinis, & latitudinis, quod clarius pedem capere possit, vnà cum paterna cui supponitur hostia consecrata. Suarez tamen to. 3. disp. 81. sect. 5. 2. concl. docet, sufficere, vt firmiter, & absq; cadendi periculo maior eorum pars valeat super illud collocari.

2 In Terris Infidelium, ac varijs locis, possumus Missam bis eodem die celebrare. Paulus III. Soc. Iesu. *Licet debitum*, num. 39. Id quod etiam in Terris fidelium, ob populi necessitatem, aliaq; iusta de causa fieri posse, prætermissa ablutione in priori Missa, innuunt Sylu. V. Missa num. 7. Tol. lib. 2. cap. 3. Azor. p. 1. lib. 10. cap. 24. q. 6. absque priuilegio; & alij.

3 Recitatis horis matutinis, integrum est nostris sacerdotibus ante lucis auroram sacrum facere Innoc. VIII. August. 17. Kal. Decemb. 1487. *Dilectis filij Mariano*, & infra, *Ac vobis, & pro tempore existentibus, vestrarum Congregationum Fratribus, expleto matutinali officio, etiam ante lucis auroram, Missam celebrare possitis, dicta auctoritate concedimus &c.* apud Confettium. Et in Comp. Min. V. Missa. 2. §. 5.

4 Itineris, vel alio impedimento vrgente, de licentia Prioris Generalis, seù alterius superioris, facultatem ad id habentis, possumus Missam celebrare per horæ spatium ante Auroram, atq; infra horam post meridiem. Greg. XIII. Soc. Iesu, Non. Maij 1578. *Quanta in Vinea Domini*, & infra, *Necnon Præsbyteris societatis huiusmodi, vt missas per horam ante Auroram*, & infra, *horam post meridiem, itineris, vel alterius legitimi impedimenti causa, de ipsius Euerardi, & pro tempore existentis præpositi Generalis, vel cuiusuis alterius ad id ab eo deputati licentia celebrare valeant Auctoritate Apostolica tenore*

tenore præsentium, de speciali gratia indulgemus, &c. apud Collect. Rod.

5 Sacerdotes nostri itinerantes sacrum facere valent ante Auroram, & post mediam noctem iuxta concessionem pro Congreg. Cassin. factam Viuæ vocis oraculo à Greg. XIII. Cardinali Farnesio dictæ Congr. Protectori. Vt habetur apud Capucc. in Annot. V. missa 3. §. Quo ad modum.

6 Pro salute & consolatione Animarum familiarium, operariorum, vel laborantium in domibus, & Monasterijs nostris, possunt nostri Sacerdotes, liberè sacrum facere per horam ante crepusculum; Quod quidem Priuilegium suffragatur nobis, inuitis etiam ordinarijs, quibus præcipitur, in virtute Sanctæ obedientiæ ne valeant circa illud nobis negotium facessere Greg. XIII. Fratribus Sancti Patris Hieronymi Hispaniarum, 14. Aug. 1583. Vt in Comp. Cler. regg. p. 2.

ANIMADVERSIO.

LIcet Conc. Trid. sess. 22. in Decreto de obseruandis, & euitandis in celebr. Missæ præcipiat Episcopis, vt, propositis pœnis caueant, nè sacerdotes alijs, quàm debitis horis celebrent. Id tamen supradictis priuilegijs non obstant; Quoniam Conc. Trid. vetat, ne Sacerdotes alijs quam debitis horis celebrent superstitionis caussa, prout clarè colligitur ex principio. §. ipsius Concilij, vbi legitur, *Ne superstitionis locus aliquis detur &c.*

Ex communi Ecclesiæ consuetudine, tempus debitum celebrandi videtur esse ab Aurora vsque ad meridiem, vt habetur ex Missali Rom. Porrò Auroræ nomine, vt ait Suarez to. 3. disp. 80. sect. 4. vers. secundò inquiri post: Intelligitur initium crepusculi diei, seù primam solis irradiationem; Idque moraliter, & non mathematicè, quasi illicitum sit præuenire aliquantulum tale initium; vt vno, vel vltimo quadrante horæ; secundum Victoriam de sacram. Euch. num. 97. & Sotum, 4. sent. dist. 13. quæst. & art. 2.

Episcopus in particulari casu, ex caussa rationabili concedere potest priuilegium celebrandi ante Auroram, ac etiam post meridiem; secundum Suarez ibidem. Nam iure ordinario, hoc ei competit, veluti requisitum ad suorum curam pastoralem. Dare verò eiusmodi priuilegium vniuersale, munus est solius Pontificis, pro sua summa potestate. Ex Reginaldo lib. 29. sub num. 174.

Disputant DD. Quantum temporis spatium requiratur, vt Sacerdos dicatur grauiter peccare, differendo Missæ celebrationem post meridiem. Nos Bonaccinam sequentes de Sacram. disp. 4. quæst. vlt. pun. 9. sub num. 6. censemus, ad p. mortale requiri spatium trium quadrantum. Ob iustam verò causam Missæ celebrationem protendi posse ad longius tempus, innuunt idem Bonac. l. c. Rod. in summa p. 1. cap. 249. num. 2. Miranda. p. 1. quæst. 40. art. 11. vt accidit in festis solemnibus, quibus missa protrahitur ad duas horas post meridiem.

7 Ex decreto Conc. Trid. sess. 25. cap. 4. de Reform. Generales omnium Ordinum, quando in eorum Ecclesijs reperitur magnus numerus Missarum, possunt in proprijs Capitulis generalibus circa id statuere, quod magis expedire videbitur. S. Congregatio censuit, capitulum hoc intelligendum esse de oneribus ante Concil. Trid. non autem post ipsum impositis.

Hancq; taxationum, eadem S. Congregatio declarauit, faciendam esse de missis tantum, & non de alijs suffragijs. Nec de missis in fundatione positis; sed pro alia caussa à testatoribus relictis.

De anniuersarijs tamen fieri posse alibi ipsamet S. Congregatio respondit. Romæ Die 26. Nouembris 1583.

Philippus Boncomp. Card. S. Sixti.

ANIMADVERSIO.

HAbentur præfatæ Declarationes apud Confett. in summario Priuilegio: Mendic. tit. 19. cap. 3. Rod. qq. regg. to. 1. quæst. 43. art. 13. Miran. p. 1. quæst. 41. art. 24. & Quar. V. missa.

8 Hoc loco recensere certè non omittam, quandam Clemen. VII. concessionem factam Monasterio nostro Neapolitano, tenoris sequentis.

Antonius miseratione Diuina tit. Sanctorum Quatuor Coronatorum præsbyter Cardinalis Dilecto in Christo Priori, & Fratribus Domus, seu Conuentus Beatæ Mariæ de Gratia Neapolitanæ Ordinis S. Hieronymi, salutem in Domino. Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod licet retroactis temporibus quam plures Christi fideles, pro salute, & remedio animarum suarum nonnullas Eleemosynas, & alia bona charitatiua subsidia vobis, vel prædecessoribus vestris pro Missis, & alijs diuinis officijs, Anniuersarijs, & pro suffragijs celebrandis

brandis reliquerint, seù legauerint, & donauerint, & in dies ob deuotionem quam erga Ecclesiam vestram gerunt pro similibus concurrant, & vos quotidie pro ipsis, & omnibus alijs, tàm cuiusquam ex defunctis Christi Fidelibus, quanto frequentius valetis celebrare, & orare, non cessetis. Quia tamen præ multitudine onerum Missarum dicendarum vobis incumbentium, singulis, prout ex ordinatione defunctorum, & obligatione prædecessorum vestrorum plenè satisfacere vobis non videtur. Ad tollendum huiusmodi scrupulum, cupercitis tres solemnes missas singulis mensibus. Vnam vid. pro defunctis, aliam de B. Maria, & reliquam de Communi Sanctorum, vel de tempore in Ecclesia vestra celebrando voluntati defunctorum, & aliorum fidelium prædictorum satisfacere posse, quod vobis licere dubitatis absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Quare supplicari fecistis humiliter vobis super his per sedem ipsam de oportuno remedio misericorditer prouideri; Nos igitur auctoritate D. Papę, cuius penitentiaria curam gerimus, & de eius speciali mandato super hoc Viuæ vocis oraculo nobis facto, vobis quod singulis mensibus tres missas solemnes, vt supra celebrando voluntati fidelium defunctorum, & aliorum pro quorum animabus, etiam singulariter obligati estis, vel ex ordinatione præfatorum testamentorum eorundem, aut alias propter eleemosynas, & alia pia legata vobis, & prædecessoribus vestris ex causa celebrationis huiusmodi facta, & quæ in dies fiunt tenemus satisfactum censeatis, & intelligatis. Ita tamen quod propter hoc ab ordinaria Missarum, & aliorum diuinorum officiorum vestrorum celebratione non recedatis tenore præsentium indulgemus, ac gratiosè etiam quo ad futura concedimus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Domus, seu Conuentus Beatæ Mariæ de Gratia, & Ordinis prædicti, statutis & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis voluntate dictorum defunctorum, & alijs præmissis, cæterisq; contrarijs quibuscunq; Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub sigillo officij Pęnitentiariæ, Tertiò nonas Septembris, Pontificatus Domini Clementis Papæ Septimi Anno Decimo.

Suprascriprum Breue, seù suprascripta licentia transumi, exemplari, publicari, ac in publicam formam redigi fecit, & mandauit Ioannes Dominicus Spinula, Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor, ad instantiam Reuer. Patris Horatij Nardi Procuratoris Sancti Onuphrij de Vrbe, anno 1619. Die 15. mensis Aprilis.

ANIMADVERSIO.

ASsertæ porrò concessioni non obstat Conc. Trid. sess. 25. de Refor. cap 4. disponens, Generales Ordinum in suis capitulis generalibus posse statuere circa magnum numerum Missarum, quod magis expedire eis videbitur. Quoniam, quando conceditur facultas dispensandi cum aliqua exceptione, seù limitatione, illa tantum facultas limitatur: Quod si aliunde similis facultas absque alia restrictione competit, neq; restricta, neque sublata videtur: sed integrum erit ea vti. Sanchez lib. 4. moral. cap. 43. num. 21. Cui suffragatur Nauar. in Manua. cap. 25. nu. 138. scribens Quamuis Conc. Trid. vbi supra statuat Episcopum cum synodo posse minuere missarum numerum ob stipendij exiguitatem, id etiam posse extra synodum, cum iure communi hoc ei indultum sit, cui per Concilium non derogatur.

Quando verò priuilegium concedit per tres missas solemnes satisfieri posse obligationibus defunctorum; hoc debet intelligi de missis cum Ministris, Diacono scilicet, & subdiacono celebratis; Quæ quidem Missæ iuxta rubricas Missalis Romani, solemnes vocantur.

Ex Decreto S. Congregationis. Conc. Romæ die 21. Iunij 1625. In decretis de celebr. Miss. Non possunt hodie Generales in Capitulis generalibus, vel aliâs quomodolibet reducere onera missarum celebrandarum, aut post Conc. imposita, aut in limine fundationis. Sed pro omnibus reducendis, moderandis, aut commutandis requiritur Apostolicæ Sedis auctoritas. Reductiones autem, moderationes, & commutationes aduersus huiusmodi Decretum factæ, nullæ, & inanes decernuntur.

Ac omnino reuocata sunt priuilegia, & indulta omnia quibusuis personis, Ecclesijs, ac locis pijs tàm secularibus, quàm regularibus cuiuscunque Ordinis quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, vt certarum missarum, vel Anniuersariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seù orationibus plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

Hic ponatur Decretum Supradictum, & declarationes ipsius Decreti, de verbo ad verbum.

Licet pluribus DD. visum fuerit, licere missas anticipatè celebrare, applicando illum valorem his, qui postea missæ celebrationem petituri,

petituri, ac pro eâ eleemosynam daturi sunt. Id tamen reprobatum fuit à S. Congregatione Cardd. Conc. Trid. ex mandato Summi Pontificis, in hæc verba.

Superioribus diebus significatum fuit S. D. N. paucis ab hinc annis in Hispania nouam consuetudinem recentiorum aliquot Theologorum opinione nixam sensim receptam in dies magis inoluisse, vt sacerdotes missam celebrantes eius valorem generalem applicarent his, qui postea missæ celebrationem postulaturi, ac pro eo eleemosynam præstaturi sunt, tametsi antequam missæ sacrificium perageretur, neque à sacerdote illud rogassent, neque ei hac de causa eleemosynã præstitissent. Quã rem cum Sanctitas sua ad sacram Congr. Card. Concilij Trid. interpretum pro materiæ grauitate examinandam reiecisset. In ipsa congregatione primum de ea actum fuit diligentißimè, ac deinde relatum ad sanctitatem suam, quæ ex eiusdem Congregationis sententia, huiusmodi consuetudinem tanquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis, & offensionibus obnoxiam, atque vetusto Ecclesiæ more nimium abhorrentem explosit, ac improbauit, atque Amplitudini tuæ literas dari, quod facimus, mandauit, vt omnibus istius Regni Archiepiscopis, atque Episcopis, in quorum diœcesibus huiusmodi applicatio in vsum inducta fuerit, per literas, aut aliàs scripto iniungat, vt talem vsum aboleant, ac prohibeant, sub excommunicationis, atque alijs, quas opportunas, & necessarias existimauerint, pęnis. Idemque præcipiant Generalibus, & Capitibus ordinum, quos in istis Regnis nunc nouerint commorari, vt scilicet, & ipsi Regularibus sibi subditis talibus applicationibus eisdem pęnis propositis interdicant, quæ omnia pro tua pietate, & Sanctißimi Domini Nostri iussui obsequendi studio, amplitudinem tuam sedulo effecturum sperantes, omnipotẽtem Deum rogamus, vt eam quotidie cælestis suæ gratiæ donis velit auctiorem reddere. Romæ die 15. Nouembris 1605. &c. apud Riccium fol. 288.

Sacræ item Congregationis consultò decernitur, Episcopum habere facultatem prohibendi, ne exteri sacerdotes in Ecclesijs Regularium celebrent, prout videre est apud Naldum, V. missa; num. 4.

Si quis autem hoc loco quærat, An Sacerdos, accepta pecunia pro certa missa celebranda, satisfaciet suæ obligationi, celebrando missam diei currentis? Dicimus, eum non satisfacere, si specialiter pollicitus est talem missam celebrare. Auctoribus Angelo V. Missa, num. 52. ibiq; Armilla num. 35. si verò non fuit pollicitus, sed in animo habuit, Missam, quæ diei congruit celebrare, immunis erit ab

hac

hac obligatione, poteritq; sacrum diei currentis facere iuxta Azor. p.1.lib.10.cap.32.dub.6.Sà V.Missa nu. 48.

His adde, nec satisfacere sacerdotem promittentem celebrare ad altare priuilegiatum, si alibi,& pro alio sacrum faciat, existimans priuilegio calculi, vel numismatis benedicti, absq; Missæ celebratione priuatis orationibus se posse defuncto suffragari. Frax. de Sacerd. oblig.ad Miss.celebr.sect.4.concl.4.§.9.num.1.

Satisfacere verò, promittens celebrare ad altare priuilegiatum pro liberatione alicuius animæ à pœnis Purgatorij, si alibi sacrificet munitus calculo, vel numismate ad hoc benedicto. Nulla enim adest differentia inter Indulgentiam Altaris priuilegiati, Et calculi, vel numismatis benedicti pro defunctis; nisi quod illa est vniuersalis pro celebrantibus in dicto Altari, hæc verò particularis,& personalis.

Hoc tamen verum erit, si ille qui petierit Missam in Altari priuilegiato, vniuersaliter fuerit loquutus, & nullum particulare Altare determinauerit. Non autem si postulauerit, vt in hoc, vel illo priuilegiato Altari celebraretur; vel quia suum est Altare, vel quia voluit illud honorari, & coli, vel Ecclesiæ, & populi commodo inseruire. Frax.l.c.num.2.3. Declarationes S.Congreg.Concilij super quibusdam dubijs Cler. Bonon. pro Regularibus valde opportunas, prout impresse circumferuntur hic adnotare libet.

DICHIARATIONE.

Della Sacra Congreg. dell'Illustrissimi, & Reuerendissimi Signori Cardinali Interpreti del Sac. Concilio di Trento riceuute da Roma dall'Illustrissimo, & Reuerendissimo Signor Cardinal Ludouisio Arciuescouo di Bologna, e Prẽcipe alli 2. di Luglio 1620.

ILLVSTRISSIMI, ET REVERENDISS. SIGNORI.

I Curati della Città, & Diocese di Bologna supplicano humilmente le Signorie vostre Illustrissime à fare loro gratia di determinare, se li Frati, che hanno le Chiese non Curate dentro le loro Parochie possono fare l'infrascritti atti, per prouedere alle controuersie, che nascono spesso tra di loro.

1 Annuntiare le feste, & digiuni all'Altare nella celebratione della Messa.

2 Rac-

2 Raccogliere le offerte, & dare la pace al popolo alla Messa.

3 Portare Piuiale, ò Stola per la Parocchia fuori della Chiesa, ò Chiostro.

4 Quando sono chiamati alla sepoltura di qualche morto, se habbiano d'andare alla casa del morto, ò trasferirsi alla Chiesa Parochiale, doue si raduna il Clero, ò pure aspettare per la strada.

5 Celebrare la prima Messa nella loro Chiesa auanti quella del Curato.

6 Publicare fra la Messa li ordini del Signor Cardinale Arciuescouo, i matrimonij, & altro, che occorrà.

7 Predicare nelle loro Chiese l'Auuento, la Quaresima, & fra l'anno quando si predica nella Chiesa Parochiale.

8 Portar fuori delle loro Chiese, ò Claustri Piuiale, ò Stola quando fanno le Processioni del loro ordine, ò del Cordone, ò della Centura, ò del Rosario.

9 Riceuere nelle loro Chiese le Donne alla purificatione dopò il parto.

10 Morendo Frati com'auuiene alle volte, & imparticolare de Canonici Regulari Lateranensi fuori del Monasterio in casa de loro Parenti, & hauendo i Curati amministrati loro i Santissimi Sacramenti, se possono i loro Superiori farli portare di notte alla loro Chiesa senza dirne cosa alcuna al Curato, & senza darli le ragioni parochiali.

11 Quando muore alcuno loro superiore ò Maestro, ò Teologo Collegiale in Conuento, se possano farlo portare per la Citta per diuerse Parocchie, e per la Piazza, con Musiche, e riti straordinarij, e metterli anche il Piuiale senza interuento del Curato.

12 Essendo publicato vn ordine generale del Signor Cardinale Arciuescouo, che niuno lassi celebrare messa à Preti forastieri senza prima vedere, che ne habbiano hauuta licenza da sua Signoria Illustrissima, ò dal suo Vicario Generale, se li Frati siano tenuti ad osseruarlo.

13 Se possano raccorre grano vua, legne, & simili altre cose prima che il Curato habbia raccolte le sue.......

14 Se possano benedir le case nella Diocese la settimana Santa; essendo questo Vffitio del Curato, come si legge nel Rituale Romano nuouo.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Interpretum, ad singula capita superius proposita hunc in modum respondit.

Ad

Ad 1. Regulares non prohiberi Dies festos, & ieiunia in suis Ecclesijs annunciare.

Ad 2. Respondit posse, dummodo à perambulationibus per Ecclesiam, ac similibus elemosinarum extorsionibus abstineant.

Ad 3. Non posse.

Ad 4. Debere ad Parochilem Ecclesiam accedere vbi Clerus congregari consueuit.

Ad 5. Prohiberi non posse quominus Missa in Ecclesijs Regularium celebretur ante missam Parocchialis Ecclesiæ.

Ad 6. Non posse publicare matrimonia.

Ad 7. Posse petita tamen benedictione ab Illustrissimum Archiepiscopo.

Ad 8. Non licere Regularibus huiusmodi processiones facere extra Ecclesias, & ambitum illarum.

Circa Processionem autem Rosarij, refert festus in Constit. sui ordinis p. 1. Declar. Congreg. quà declaratur posse dictam processionem fieri per totam Ciuitatem, si ita habeat consuetudo à decem retro annis seruata, in quattuor festiuitatibus Beatæ Mariæ, nimirum Natiuitatis, Annunciationis, Purificationis, & Assumptionis.

Ad 9. Regulares non prohiberi in eorum Ecclesijs mulieres post partum ad purificationem admittere.

Ad Decimum, Regulares extra Claustra decedentes, posse ad eorum Ecclesias deferri, etiam Parochis inconsultis.

Ad 11. Non posse.

Ad 12. Non licere Regularibus in suis Ecclesijs ad celebrandum admittere Præsbyteros seculares contra prohibitionem Illustrissimi Archiepiscopi.

Ad Decimum tertium, non esse Id prohibitum Regularibus.

Ad 14. Non posse.

Hor. Cardinalis Lancellottus. Locus ✠ Sigilli.

In Bologna per Vittorio Bonacci Stampator Archiepiscopale.

NOTARIVS.

1 PEr priuilegium Pij V. Prædic. concessum 21. Martij 1571. *Debitum Pastoralis officij*. Prior noster Generalis gaudet auctoritate creandi, & deputandi in Notarios Fratres Nostros huic muneri aptos, & idoneos, qui si fuerint requisiti, omnia scripta facere possint,

possint, prout habetur apud Collect. Rod. in hunc modum.

Nos igitur cupientes quantum cum Deo possumus in præmissis Ordini, & Fratribus præfatis, ac etiam Monialibus ipsis de opportuno remedio prouidere, & dictis incommodis, detrimentis, expensis, & damnis eorum obuiare, & infra. *Motu proprio, non ad alicuius nobis, super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, modernis, & pro tempore existentibus dicti Ordinis Magistro, Generali, Vicarijs, & Prouincialibus, tàm citra, quàm vltrà, ac alias vbilibet constitutis, quod in vnaquaque eorum prouincia, vnum, duos, tres, quatuor, vel quinque, aut plures eis benè visos dicti Ordinis religiosos, seu fratres, probos tamen ac fide, & doctrina idoneos, & ab ipsis approbatos in Notarios, creare, constituere, & deputare. Qui sic creati, constituti, & deputati, sine aliquo respectu, & omni cessante recusatione, liberè, quoties requisiti fuerint omnia, & singula mandata, priuilegia, concessiones, gratia, & indulta Apostolica, aliaq; tàm vniuersalia, quàm particularia dicto ordini*, & infra, *& ad vniuersam, siue priuatam vtilitatem concessa, & emanata rescripta Apostolica eisdem Regibus, Ducibus, Principibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & Dominis, alijsq; personis Ecclesiasticis, & secularibus quibuscumque, vbi, & quoties opus fuerit, ac ad id requisiti fuerint, notificare, insinuare, & intimare, &c.*

NOVITIVS.

1 PRiuilegia nobis concessa extenduntur etiam ad nouitios in Ordine nostro perseuerantes. Eug. IV. Monachis Cassin. Vt patet ex Comp. S. Patris Hieronymi Hispan. V. Nouitius, §. 3. relato in Comp. Cler. regg.

2 Quando aliquis ex nostris Nouitijs intrà probationis annum infirmatur, moribundusq; arbitrio prudentis Medici iudicatur. Si ad legitimam ætatem peruenerit, & id petierit, poterit pro consolatione propriæ consciẽtiæ ad professionem in manibus Prioris emittendã recipi Pius V. Monialibus. S. Dominici ex Collect. Rod. 23. August. 1570. *Summi Sacerdotis cura &c.* Quod sanè priuilegium Concilio Tridentino, derogare planum est, ex clausula, *Non obstantibus Constit. &c.*

ANI

ANIMADVERSIO.

CONtrouersum est inter DD. An præfatum priuilegium adhuc sit in suo robore. Nam Rod.qq.regg.to.3.quæst.15.art.6.affermatiuam partem sustinet, cum Miranda p.1.quæst.22.art.10. Ioannes verò Cruz.Epit.de statu Relig.lib.1.cap.8. dub.4.& lib.2.cap.3. dub.6. Lopez.secutus in sum. p. 1.cap. 8. profitetur esse reuocatum. In priorem partem cum Sanch. lib. 5. moral.cap. 4. num.16. Henriquez ibidem,& alijs supradictis, nos etiam inclinamus.

Sicq; virtute huius priuilegij professus decedens, plenariam suorum peccatorum Indulgentiam, & alias gratias, quas cæteri professi, transacto probationis anno morientes consequuntur, lucrari potest. Vide supra V.Indulgētiæ quo ad Fratres,vers. *In cuiuslibet vero,&c.*

Ac in eiusdem bonis Monasterium succedere,tradunt Sanch.l.c.& Confettius tit.23.de Monialibus cap. 13.

Prætermittendum hoc loco non est Decretum Conc.Trid.sess.25. cap.16. de Regul. Quo præcipitur Superioribus regularibus,vt elapso tempore probationis, Nouitios, quos idoneos inuenerint ad professionem admittant, aut ex Monasterio eijciant.

Quod planè Decretum, locum habere tantum in Nouitijs, qui transacto probationis tempore, idonei inuenti fuerint, & non in his, qui inhabiles extiterint ob eorum ruditatem; declaratum fuit à S. Congreg.Card.interpretum. Conc. 8. Nouembris 1569.& de licentia Pij V. confessum, vt superiores horum professionem ad sex menses vltrà annum probationis deffere valeant, modò futuræ habilitatis probabilis spes adsit. Ita referunt Capucc. in Comp. Min. V. Nouitius, §. de Nouitiorum professionis emissione,vers. *secundò notandum.* Confectus Summi Priuil.Mendic. sub Cano.52. Miranda p. 1. quæst.25.art.11. Sà V.Religio. num.3.

Non me latet, iusta de causa, integrum esse superioribus diferre Nouitiorum professionem, idquè iure communi; prout Nauarro, consi. 29. & 30. de Regul. Cordubaq; super regulam Fratrum Minorum,cap.2.quæst.11.recensitis,non ineptè comprobat Miranda, p.1. quæst.25.art.11.

Pro vberiori præsentis. §. doctrina scire oportet, Nouitium delinquentem, non posse conueniri coram Iudice Ecclesiastico,ab eoue puniri; sed coràm Prælato Religionis esse conueniendum, & ab eo

punien-

puniendum. Sicut enim fauore Religionis eximuntur Nouitij, instar professorum à Ciuili potestate, sic etiam ab Episcopali. Molina to.3.de Iust.disp.671.num.2.Sanchez. Moral.lib.6. cap.10. num.11. Nauarrum reijciens, scribentem, cons.5. num. 2. de foro comp.posse Nouitium puniri à Prælato suæ Religionis, seu à Iudice Ecclesiastico.

Idque procedit secundum Sanchez num. 12. non solum quando Nouitius contra regulam delinquit, sed etiam si perpetraret delicta morte digna; vt homicidium. Idem tradit Azor.p.1.lib. 12.c. 2. dub. 11. Similiter, si exigarur à Nouitio debitum ciuile; exigendum esse coram Prælato religionis, non coram Iudice Ecclesiastico. Auctor est idem Sanchez cum Azorio l.c.

Quid verò si Nouitius sine iusta causa eijciatur à religione? Respondit Sanchez lib.5.moral.cap.4.num.59. Hostiensem; Ioan. Andr. sequens; eum habere iustam causam agendi contra religionem, ne expellatur. Et sic expellentes peccare, docet Caiet.2.2. quæst.vlt. art.4.dub.3.

Libet, quando id sine fructu minimè fuerit, breuiter explicare Decretum Conc.Trid. sess. 25.de Regul. cap. 16. circa Nouitiorum de proprijs bonis dispensationem. Decretum illud sic habet.

Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio, antea facta, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscumq; causæ piæ valeat, nisi cum licentia Episcopi, siue eius Vicarij fiat, intra duos menses proximos ante professionem, ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter vero facta, etiamsi cum huius fauoris expressa renuntiatione, etiam iurata, sit irrita, & nullius effectus; &c.

Circa quod Decretum, quatuor explicanda sunt. Primum, quæ personæ comprehēdantur in eo Decreto. Secundùm, quid in eiusmodi Decreto intelligatur, nomine renuntiationis, & obligationis? Tertiùm à quo tempore incipiant habere vim renuntiationes, & obligationes Nouitiorum, secundum Conc. Quartum, quas solemnitates exigat Conc. in his renuntiationibus, aut donationibus, vt validæ censeantur.

Quantum ad primum; licet pleriq; voluerint in hoc Decreto Concilij eos comprehendi, qui ante ingressum religionis, bonis renuntiarunt, intuitu ingressus. Oppositum tamen egregiè sustinent Confett.in sum: Mater: priuil. Mendic. Tit.13. cap. 12. & 13. Alphonsus Vega. tom. 1. summæ, cap. 90. casu 4. & tom. 2. cap. 39. casu 3.

su 3. Sanchez. lib. 7. Moral. capit. 5. numero 4. vbi, & alij.

Certum est insuper, tale Decretum intelligi de omnibus Nouitijs, & non de solis minoribus sexdecim annis, vt tradunt Guttierez qq. Canonicarum, lib. 2. cap. 1. num. 24. Rod. qq. regg. to. 2. quæst. 47. art. 13. & in summa to. 2. cap. & num. 7. Sanchez. l. c. num. 7. contra Menochium de Arbitr. lib. 2. cent. 5. casu 43. nu. 8. scribentem, id Decretum intelligi de solis minoribus sexdecim annis; atque ita Nouitios hanc ætatem excedentes, posse quandocunque liberè de suis bonis disponere.

Quantum ad secundum, non desunt Auctores, qui velint nomine renuntiationis, & obligationis in præfato Decreto comprehendi etiam Testamentum à Nouitio factum. Verum sustinendum est, Testamentum minimè comprehendi in hoc Decreto; Et ita fieri posse à Nouitio quandocunque voluerit. Ita Nauar. Com. 2. de Regul. num. 51. & cons. 83. de Regul. Azor. p. 1. lib. 12. cap. 2. quæst. 14. Sà V. Religio. num. 5. less. lib. 2. cap. 41. dub. 4. num. 40. Sanchez. l. c. nu. 13. & alij.

Idem dicendum est de Donatione causa mortis; & Codicillis. Nauar. Cons. præfato Sanch. l. c. nu. 14. & alij ibidem.

Secus de Donatione inter viuos irreuocabili, cuius effectus differtur in tempus mortis, quia ea statim est irreuocabilis. Sanchez. l. c.

Nihilominus Nouitij testamentum eget ad sui valorem solemnitatibus Iuris Communis: ligantur enim Ecclesiastici legibus ciuilibus, quæ Ecclesiasticæ libertati non aduersantur. Sanchez. l. c. cap. 3. num. 20. cum alijs ibi citatis.

Quantum ad tertium, dicimus primò renuntiationem, vel obligationem factam à Nouitio in fauorem Monasterij, vel cuiuscunque cum illius solemnitate, si contingat eum mori ante professionem, manere irritam, & omnino corruere. Nauar. cons. vltimo de success. ab intestato. Molina de Iust. to. 1. disp. 140. nu. 2. Sà V. Religio. nu. 7. Vega l. c. & alij à Sanchez eod. lib. & cap. num. 49. citati legatum similiter à Nouitio factum, censeri reuocatum, eo ipso, quod Nouitius egreditur è religione, nisi denuò se confirmare explicet. Sanchez ibidem, cap. 3. nu. 13.

Secundò eiusmodi renuntiationem, vel donationem, haberi suum effectum à die professionis nisi aliud in ea Donatione exprimaretur, secundum Rodericum in sum. p. 2. c. 7. nu. 9. Vegam to. 2. cap. 39. casu 3. & Sanchez. eod. lib. cap. 3. num. 58.

Circa

Circa quartum, duæ solemnitates in Conc. decreto petuntur; vna est, vt renuntiatio fiat cum Episcopi, vel eius Vicarij licentia. Altera, vt fiat intra duos Menses professioni proximos. Asserunt tamen Rodericus p. 2. sum. c. 7. nu. 1. Vega l. c. in aliquibus religionibus obijsse in desuetudinem, talem licentiam petere ab Episcopo. Ideoq; in illis haud esse necessarium. Sanchez tamẽ eod. lib. cap. 5. nu. 75. tutissimum censet, petere hanc licentiam, ne valor renuntiationis litigio exponatur. Qui etiam num. 80. tradit non exigi, vt talis renuntiatio fiat bimestri integro ante professionem; sed sufficere, toto eo bimestri fieri, quamuis immediatè ante professionem.

Neque refert, si transacto bimestri post factam renuntiationem, professio ex qualibet causa differatur; adhuc enim validam fore renuntiationem. Auctor est Sanchez ibidem num. 82. post Menochium consl. 388. num. 7. vol. 4.

Poterit Monasterium repetere bona cum fructibus renuntiata à Nouitio in beneficium secularium contra prædictam dispositionem Conc. Trid. ad notata per Riccium, prax. resol. 331.

3 Extat Sanctio Clem. VIII. in Decreto 19. Martij 1603. qua decernitur, munus audiendi confessiones Nouitiorum, eorum magistro tantum committi debere; licere tamen superiori, vel cui illi commiserit, semel vel bis in anno eorundem confessiones excipere. lege Quar. V. Monasteria, & Conuentus.

4 Prælati Ordinis Nostri, habent facultatem absoluendi, & dispensandi cum Nouitijs nostris virtute Priuilegij Sixti IV. Canon. Lateranen. concessi; *Dum ad vniuersos X. Kal. Septembris* 1477. vbi legimus. *Vt autem Rector, & Visitatores, ac singuli Priores dictæ congregationis, & qui loco eorum in ipsorum absentia constituuntur præsentes, & futuri, qui nunc sunt, & qui pro tempore erunt amplioribus prærogatiuis, & indultis gaudeant eis concedimus, vt cum Canonicis, Nouitijs, conuersis, & comissis eiusdem Congregationis dispensatione indigentibus, siue priusquam intrauerint congregationem, & Ordinem huiusmodi, siuè post in casibus quibus excesserint, & pro quibus excommunicationis, vel interdicti, aut suspensionis sententias à iure, vel ab homine generaliter promulgatas incurrerint, & huiusmodi sententijs innodati, aut in locis generali, aut speciali Ecclesiastico suppositis interdicto, diuina officia celebrantes, vel suscipientes Ordinem, sic ligati notam irregularitatis similiter incurrissent, in omnibus alijs casibus etiam causa cuiuscumque symoniæ, qualiter-*

cumq; generaliter, vel specialiter Sedi Apostolicæ reseruatis exceptis duntaxat hæreticorum, relapsorum, schismaticorum, deferrentium prohibita ad infideles, & literas Apostolicas falsificantium, quos omnino ad eandem sedem remitti volumus, absolutionis, & dispensationis beneficium iuxta casuum exigentiam, valeant impartiri; &c.

ANIMADVERSIO.

PRæfatis casibus Sixti IV. exceptis, addendi sunt cæteri casus in Bulla cęnæ Domini contenti, iuxta ea, quæ dicta sunt in Animaduers. V. Absolutio quo ad Fratres, post num. 3.

Si priuilegia Mendicantium non censentur reuocata, nisi de illis fiat expressa mentio, teste Sà V. Gratia, num. 20. post Menochium, consil. 294. Meritò inferre possumus, Viuæ vocis oraculum pro Ordine Capuccinorum, Clem. VIII. relatum à Capuccino V. Absolutio extraordinaria quo ad Fratres, vers. *Quo ad* §. 3. quo declaratur, Nouitium ante, siue post habitus susceptionem, casu aliquo Sedi Apostolicæ reseruato innodatum, ante professionem ad eos esse pro absolutione transmittendum, ad quos id munus spectat, non obstare prænarrato priuilegio Canon. Later. concesso, nobiscumq; communicato.

Nouitium ipso iure absolui posse in religione ab ijs omnibus, a quibus absolui possunt professi; Tradit ex Reginaldo, Viualdoq; Bonacina de leg. disp. 4. pu. 7. § 4. num. 28. addens contra præfatos DD. Nouitium non reincidere, quamuis postea egrediatur.

An Nouitij ante professionẽ sacris Ordinibus initiari possint, &c. Vide infra V. Ordines. in Animaduer. post num. 3. vers. *Ex Const. Pij V. & sequen.*

OFFICIVM DIVINVM.

1 SAtisfacimus capit. Dolentes de celeb. Miss. horas Canonicas recitando, sedendo, deambulando, verba diminuendo, syllabis amputatis vitio linguæ, seù consuetudine quadam ingenita; Necnon sine interna mentis attentione; seclusa tamen omni malitia, & praua voluntate. Nec qui nobiscum verba ita diminuentibus persoluunt horas Canonicas, tenentur eas repetere, non obstante locali distantia strepitu, aliaue causa, ob quam non rectè prolata, minus

minus aptè intellexerint, sed suo muneri satisfaciunt. Leo. X. Minoribus in eius oraculis num. 11. Vt testantur litteræ Laurentij Cardinalis Sanctorum Quattuor Coronatorum, sub die 15. Aprilis 1516. ac in eorum Comp. V. eodem, primo, §. 8.

ANIMADVERSIO.

Sciendum est præfatum priuilegium esse potius explicationem & declarationem iuris Communis, quàm priuilegium: Siquidem ferè omnia in eo contenta ex iure communi sunt permissa. Iuribus à Miranda citatis, p. 1. q. 37. art. 12.

Ad modum recitandi horas Canonicas, duplex deuotio spectat, interna scilicet, & externa; illa est applicatio animi ad Deum laudandum; Hæc promptitudo ad psallendum, standum, flectendum genua, &c. prout postulat ordo Diuini officij. Qui priore voluntariè caret inter solutionem horarum Canonicarum, ita ut nunquam animum verè applicarit ad Deum laudandum mortaliter peccat. non autem qui posteriore destituuntur, nisi adsit scandalum, & contemptus. Tannerus, num. 22. disp. 5. num. 28. ex Valentia.

2 Quicquid in recitatione horarum Canonicarum, vel in missa secretò, & sub silentio præcipitur dici; mente tantùm recitare, aut legere super Codicem valemus. Leo. X. Minoribus indulsit in eius oraculis, num. 12. Ex attestatione litterarum Laurentij Card. SS. Quatuor Coronatorum, die 15. mensis Aprilis anno 1516.

3 Superioris auctoritate interueniente, licet nobis, legitimis de causis horas Canonicas Missæ postponere. Iulius III. Soc. Iesu 22. Octobr. ann. 1552. *Sacre Religionis*, vt in annot. Capucc. ad Comp. Min. V. eodem tertiò vers. *Possunt Fratres Ordinis*. Et in Comp. Cler. Regg. p. 1.

ANIMADVERSIO.

Ante matutinas præces, absq; Superioris facultate, iustis de causis, sacrum facere, nullam esse culpam, aiunt Comit. lib. 1. Resp. moral. quæst. 50. Less. lib. 2. capit. 37. dub. & numero fin. & alij.

4 Ante solis occasum, hora quarta promeridiana, recitari posse preces Matutinas, & laudes sequentis diei, asserit Less. lib. eod. &

dub.num.79. Ex Caiet. & Nauarro, addens, paruas horas vsque ad Vesperas inclusiuè, iusta de causa, mane dici posse, per cap. 1. de celebr. Miss. At Sà V. Horæ Canonicæ num. 17. concedit, licitum esse, ex causa, mane totum officium diei persoluere, cui fauet Tannerus l.c.num.5.

ANIMADVERSIO.

QVo ad matutinum sequentis Diei recitandum Consule Tabellam à Io. Baptista Tiberio relatam in instruc.pro ordinan. cap. 13. quæst. 95.

5 Senes, Infirmi, & valetudinarij, qui non valent horas canonicas recitare, satisfacere censentur, dicendo loco earum, quicquid fuerit eis à Superioribus, seù confessarijs iniunctum. Vt supra. V. Dispensatio, num. 9. & 10. visum est.

6 Leo X. plenariam concedit remissionem defectuum omnium fragilitate humana admissorum in officio recitando, sequentem orationem dicentibus.

Sacrosanctæ, & Indiuiduæ Trinitati, Crucifixi Iesu Christi Domini nostri humanitati, & Beatissimæ, ac gloriosissimæ Virginis Mariæ fœcunditati, & omnium Sanctorum Vniuersitati sit sempiterna laus, honor, virtus, & gloria ab omni creatura, nobisq; remissio peccatorum, per infinita secula seculorum. Amen. Et Beata vbera, quæ lactauerunt Christum Dominum; Pater noster &c. Aue Maria &c.

Quam sanè Orationem sufficit dicere in fine omnium, seu plurium Horarum simul recitatarum. Vt habetur in eiusdem Oraculis num. 69. prout testantur literæ Domini Cardinalis SS. Quatuor Coronatorum, sub die 7. Aprilis 1517.

ORACVLA VIVÆ VOCIS.

IN interiori animæ iudicio oracula Viuæ vocis ordini nostro concessa, communicataq;, non censentur inferioris virtutis, & efficaciæ quàm si per Bullam, vel Breue ad perpetuam rei memoriam fuissent concessa. Leo X. Minoribus, Vt in eius Oraculis, num. 4. prout testatur Cardinalis SS. Quatuor Coronatorum, ac in eorum Comp. V. eodem, §. 2. & V. Priuilegia, §. 22.

ANI-

ANIMADVERSIO.

HOc autem loco adnotare libet, Gregorium XV. reuocasse quaslibet concessiones Viuæ vocis oraculo factas quibuscunque personis; his demptis, quæ S. R. E. Cardinalibus factæ fuerunt; aut eorumdem manu munitæ. Vt latius videre est in eiusdem Pontificis Constitutione. *Romanus Pontifex, die* 11. *Iulij* 1622.

Non obstante prælibata reuocatione animaduertendum est, quod *pro parte fratris Dominici de Molina ordinis Prædicatorum, & Procuratoris omnium Religionū Mendicantium, & non mendicantium Prouinciæ Bethicæ stante Constitutione fel. rec. Greg. XV. reuocatoria Oraculorum viuæ vocis petitur declarari, an gratiæ, & priuilegia viuæ vocis oraculo facto Magistris Generalibus, Vicarijs Generalibus, & Procuratoribus Generalibus concessa eorum ordinibus, quæ sortita fuerunt effectum ante reuocationem licet effectus habeat tractum successiuum, vel alias respiciant particulares personas; Vt sunt præsentaturæ, vel Magisteria, non obstante prædicta reuocatione maneant in suo robore, & valida censeantur vti in dicta reuocatoria constitutione non comprahensa, vel aliqua indigeant reualidatione, tam in temporalibus, quam in spiritualibus?*

Sac. Congreg. Cardd. negotijs regularium proposita Illustrissimo de Cremona deferente prædictas gratias, & priuilegia in dicta reuocatoria Constitutione non compræhendi, nullaq; reualidatione indigere. Proindeq; validas, & valida fore & esse, eisdemq; secure vti posse censuit, prout alias fuit responsum Romæ die 2. Aprilis 1625. ita refert Castell. de Elect. cap. 5. num. 37. vers. pro parte.

ORDINES.

1 ABsque præiudicio constitutionum nostrarum, possunt nostri superiores liberè concedere suis subditis literas dimissoriales ad Episcopum Dioecesanum, cum sint eorum Ordinarij, iuxta, Gloss. in cap. Cùm ad Ecclesiarum de off. Iud. ordin. In hoc enim priuilegia Regularium, à Concil. Trident. sess. 23. de Reform. cap. 8. & 10. non sunt reuocata, nisi in ordine ad subditos seculares. Illoq; ordines non tenente, seù absente, ad quemuis alium, &c. Idque ex declaratione Cle. VIII. 15. Martij 1596. cuius Decretum habes apud Quarantam V. Ordo. Vide infra. V. Prior in Animad. post. nu. 1.

ANIMADVERSIO.

NOn parum dissidij est inter DD. ratæ ne sint, ac firmæ literæ dimissoriæ, quas prælatus excommunicatus subdito excommunicato concedit. Nos verò omissis disputationibus opinamur, concessionem talium literarum tàm ex parte dantis, quàm ex parte recipientis illicitam esse ob interuenientem communicationem, quæ omnibus excommunicatis interdicta est. Verùm si ordinandus excommunicationi subiaceat, non proinde priuabitur fructu harum literarum, cùm talium vsus non censeatur actus Iurisdictionis. Quod si literæ ab excommunicato minimè tolerato, aut ab eius delegato concedantur, nullius erunt vigoris, ob vsurpatam Iurisdictionem, qua talis excommunicatus priuatus existit. Vnde qui his literis suffultus ordines suscipit, contrahit pœnas inflictas aduersus ordinatos absque licentia. Consule Suarez to.1.d.14. sect.1. num.6. & 7. Sanch. de Matr.lib.3.d.21.num.9. Vgol.de cens.Tab. 2.cap.11.§.4.nu. 5.

Præfatas verò litteras dimissorias vim, ac robur retinere suas tametsi illas concedens, obierit, vel ab officio amotus fuerit Nauar. cap.placuit. de pęn.d.6.num. 34.& 162.ex trad. Card. in Clem. fin. de elect.nisi obstet specialis Religionis constitutio &c.

2 Clerici Congregationis nostræ, Generali Priore, vel alio ab eo delegato comprobante, extra tempora à iure præscripta, tribus Dominicis, aut alijs festis diebus, etiam continuis, quibusuis ordinibus sacris initari possunt Greg.13. Societati Iesù, Indulto *Pium, & vtile Die* 22.*Septembris* 1582.apud Collect. Roderic.

ANIMADVERSIO.

CVi nimirum priuilegio non obstant Decreta Conc.Triden. sess. 23. de Reform.capit.8.& sess.25.de Regul.capit.22. auctoribus Rod.& Io.Cruz.lib.2.cap.3.dub.6.

Scito etiam, dies festos, hoc loco intelligi debere de præceptis ab Ecclesia, vt tradit Io. Bapt.Tiberius. Instruct.pro ordin. cap.8. q.58. vers. *Septimò requiritur.*

Licèt in huiusmodi priuilegio adsit clausula communicationis prohibitiua; liberè tamen, ac licitè illo gaudere, & vti valemus. Vide supra V.Communicatio Priuilegiorum, in Animad. post nu. 2. vers. *Etiamsi &c.*

3 Qui ad conuersorum habitum recepti fuerint, ad clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possunt. Ex dispositione Clem. VIII. de Instit. super recept. & educ. Nouitiorum, &c. Vt latius videre est apud Quaran. V. Monasteria regularium.

ANIMADVERSIO.

PRæsumentes accipere sacros ordines extra tempora à iure statuta absque dispensatione, & priuilegio Apostolico, vel ante legitimam ætatem, aut sine literis ordinariorum suorum: sunt ipso iure suspensi. Susceptisq; ordinibus abutentes, fiunt irregulares; iuxta Pij II. Const. *cum ex sacrorum* 1461.

Quoniam verò paria sunt, carere aliquo ordine, & illo ante tempus initiari, Glos. in cap. Ei cui, de præb. & dignit. in 6. relata à Panorm. in cap. Pro illorum, de præb. & dignit. Propterea qui contra Pij II. const. ad subdiaconatum promoti fuerint, donec dispensationis beneficium impetrauerint, capitulari voce ex sacro ordine, & debita ætate procedente in ordinibus regularibus priuati erunt.

Quamuis autem Controuersum sit, An initati minoribus ordinibus absque licentia ordinariorum suorum, ipso iure suspensi sint? Quidam enim negatiuam partem sustinent. Nobis tamen oppositum cum Comit. lib. 6. Res. moral. Quæst. 37. verosimilius videtur: Per Concil, Trident. sess. 6. de Reform. cap. 5. & sess. 14. cap. 2.

Irregulares euadunt Apostatæ, si reiecto habitu, ordinem aliquem susceperint. Id enim excommunicationis vinculo ligati, faciunt. Quod si non dimisso habitu ad sacros ordines promoti fuerint, suspensione à susceptorum ordinum executione, ipso iure innodantur; Cùm aduersus Concil. Trident. dispositionem, sess. 6. de Reform. cap. 5. & sess. 14 de Reform. cap. 2. sine suorum Superiorum licentia promoueantur.

Huiusmodi porrò suspensiones solum impediunt vsum ordinis sic malè suscepti, non inferiorum adnotata per Suarez de cens. disp. 31. sect. 1. sub num. 31. Ab hisque suspensionibus Prælati Ordinis nostri tàm per se, quàm per alium absoluere, & super irregularitate contracta ob violationem talium suspensionum, dispensare poterunt. Vt patet ex V. Absolutio quo ad Fratres num. 1. & 3. & V. Dispensatio, num. 1. 5. 6. & 7. Ac etiam ex V. Prior num. 1.

L 4 Absque

Absque priuilegijs nullus Pontifice inferior dispensare poterit super tali irregularitate, prout innuere videntur Glos. in cap. Clerici, de Cler. excom. ministr. Panor. ibidem Sylu. V. irregularitas, quæst. 10. Nauar. in Manu. capit. 25. numero 70. & capit. 27. numero 245. & alij.

Ex constitutione Pij V. extendentis Decretum Concil. Trident. de non promouendis clericis secularibus ad sacros Ordines absq; iusto titulo, ad clericos regulares; Non videtur eliciendum, Nouitios Mendicantium, seù non Mendicantium ordinum, ipso iure suspensos esse, si sacris Ordinibus ante Votorum emissionem initientur. Propterea quod talis constitutio non videtur loqui absolutè de omnibus ordinibus regularibus, sed de illis tantum personis, qui intra claustra Monasteriorum, seù domorum, more regularium in communi viuentes, nunquam, vel non nisi ad certum tempus professionem emittebant; prout ex eadem Const. manifestum est; quam hunc in modum interpretatur Nauarrus in Manu. cap. 27. num. 158. versus finem. Auila Comp. Nauarri. V. suspensio 3. num. 16. Petr. Alagona Soc. Iesu Comp. eiusdem Nauarri cap. & num. eodem. Suarez de Cens. disp. 31. sect. 1. num. 38.

Ante Votorum emissionem posse Nouitios ad sacros ordines promoueri, vbi specialis Religionis Constitutio non obstat; expressè tradunt Sanchez lib. 6. moral. cap. 19. num. 10. Et Io. Bapt. Tiberius l.c. vers. *Nono requiritur*, alij citatis.

PACTA.

1 IRritæ, & nullæ sunt quecumq; conuentiones, obligationes, compositiones, pactaq; constitutionibus ordinis nostri aduersantia, quæ sine facultate capituli generalis per fratres nostros, etiamsi Priores existant, fieri contigit. Alexand. IV. Kal. Aug. Pontif. sui ann. 1. Minoribus. Ac etiam Iulius II. Minimis 29. Martij. 1507. *Aliàs Venerabilem, &c.* Vt habetur ex Collect. Rod.

ANIMADVERSIO.

EX antedicta concessione elicitur: Non obstare nobis cap. fin. de pactis in 6. Sanciens, firma, ac rata esse pacta religiosorum cum parochis, si annuente loci capitulo inita fuerint, quamuis capi-

tuli

culi generalis; & Superiorum Prælatorum assensus non adfuerit; si quidem hæc iuris communis dispositio infringitur per præfatum priuilegium Iulij II. *Aliàs Venerabilem, &c.* licet nullam faciat mentionem de tali dispositione. Nam priuilegium concessum contra ius commune purè, & simpliciter disponens, derogat ex sui natura, tali iuri; etiamsi in eo nulla fiat mentio iuris contrarij; præsertim quando priuilegium non derogando iuri communi, præfato modo disponenti, inutile euaderet. Auctore Suarez de leg. lib. 8. cap. 14. num. 5. & 8. & cap. 22. num. 3. & 4. Vide etiam Azor. p. 1. Inst. moral. lib. 5. cap. 22. quæst. 13. Non obstat etiam constitutio, *Sacro approbante Concilio*, edita in Concil. Lateranen. sub Leone X. 19. Decembris 1516. Cùm expresse fuerit reuocata à Paulo III. priuilegia Minimorum ex certa scientia approbante, & confirmante: Constitutione. *Regimini militantis* 25. *Iulij bisce verbis* 1540. *Non obstantibus præmissis, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam generalis Concilij Lateranen. vltimò celebrati, &c.* Vt in libro suorum Priuilegiorum fol. 93. & videre est infra, V. Priuilegia, in Animaduers. post numerū septimo, versic. *His adde; &c.*

PARAMENTA SACRA.

1 QVascunque vestes, & pannos prophanos, saltem de consuetudine; Pontificali, seù Sacerdotali benedictione præcedente, ad sacros vsus transferre possumus. Ang. V. Vestis nume. 1. Sil. V. Corporalia, q. 3. & V. Vestis Azor. p. 1. lib. 9. cap. 9. quæst. 8. Vide supra V. Benedicere.

PRÆDICARE.

1 DE Licentia Prioris Generalis, possunt Fratres nostræ Congregationis ab eo approbati, & deputati, si idonei prius inuenti fuerint, prædicare, & euangelizare Dei verbum, viam veritatis suadendo Clericis, & laicis in omnibus Ecclesijs, Locis, plateis publicis, & vbiuis gentium Paulus III. Societ. Iesu declaraturq; à Gregor. XIII. Const. *Vigore priuilegij* 20. *Nouembris* 1584. præfatum priuilegium extendi etiam ad illos, qui sacris non fuerint initiati, sed prima tantum Tonsura insigniti; Sicut latè patet apud Col-

lect. Rod. Bulla sub Gregor. XIII. 28. Vide etiam supra V. Absolutio quod ad seculares, num. 1.

ANIMADVERSIO.

PRænarrato priuilegio repugnat nouissima Constitutio Gregor. XV. relata à nobis, V. exemptio in fin. auferens à regularibus facultatem prædicandi in alienis Ecclesijs, aut quæ suorum ordinum non sunt, absq; Episcopi licentia; Et in Ecclesijs suis, aut suorum ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente.

PRIOR.

1 QVicquid per Concil. Triden. sess. 24. cap. 6. de Reform. conceditur Episcopis quo ad absolutionem à casibus Pontifici reseruatis, & dispensationem super irregularitatibus: Idem censetur concessum Prioribus, alijsq; Prælatis maioribus nostræ Congregationis quo ad suos subditos Pius V. Ord. Prædic. 21. Iulij 1571. Vide supra V. Absolutio, quo ad Fratres, num. 3. & V. Dispensatio, num. 6. 7. 8. 9. 10. & 11.

ANIMADVERSIO.

INdubitati iuris est, non solum P. Generalem in toto ordine, & Prouinciales in suis Prouincijs; sed etiam Priores in suis Conuentibus, tantam in suos subditos habere potestatem, quantam Episcopus in suas oues, cùm sint verè Prælati, plenissimam habentes potestatem in vtroque foro ad ligandum, & soluendum. Vt notant Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 2. num. 13. & disp. 3. num. 9. & 2. moral. cap. 11. num. 7. Less. lib. 2. cap. 40. num. 118. & alij quos ipsi citant. Iureq; Eug. IV. Constitutione 9. concessit Prælatis Ordinis Sancti Benedicti, vnà cum suis Conuentibus, iurisdictionem ordinariam in quocunque casu necessariam. Hinc elice, eo ipso, quo sacri Religiosorum Ordines per Summos Pontifices approbantur, & à iurisdictione Episcoporum eximuntur, eorum Prælatis ea, quæ sunt iurisdictionis Episcopalis conceduntur Bannes, 2. 2. quæst. 1. art. 10. dub. 8. concl. 6. Less. l. c. num. 133. & Suarez de Voto lib. 6. cap. 10. num. 14.

Prælato-

Prælatorum regularium iurisdictionem esse ordinariam, & delegabilem, optimè etiam comprobant Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 40.num. 14. Et Suarez de leg. lib 6.cap. 15. num. 1. plures referentes. Vide item Rod.qq.regg.to.1.quæst.17.art.6.& 11. Et quæst.22. art.11.& Io.Cruz lib.1.cap.6. dub.8.

Verior, ac tutior est illorum sententia, quam refert, & sequitur Sanchez lib.2.moral.cap. 11. num. 7. 26. & 27. præfatam facultatem Episcopis à Concil. Triden.d.cap.6. concessam, non solum ex vi dicti Concilij per S. Congregationis declarationem, sed neque etiam virtute priuilegij Pij V. Prælatis regularibus concessi, ad casum hæresis, cæterosq; in Bulla cęnæ Domini contentos, extendi.

2 Quælibet potestas, & facultas Pęnitentiarijs Sedis Apostolicæ, seù Romanæ Curiæ, quo ad confessiones audiendas, absolutiones impendendas, & alia ad salutem animæ attinentia concessa, communicatur, & extenditur ad R. Generalem, Prouinciales, & Priores Conuentuales ordinis nostri. Eug. IV. Carmelitis; Vt habetur in eorum Marimagno, eis à Sixto IV. concesso, num. 15.& 62. ac etiam in Comp. Minorum, Tit. Absolutio, quo ad Fratres; nu.37.

3 In rebus dubijs, & ambiguis, quę timidis conscientijs negotium facescere possunt, si res alicuius momenti extiterit, auctoritate Apostolica conceditur superioribus nostræ Congregationis facultas determinandi, declarandiq; quicquid eis iustum, & rationabile visum fuerit. Quorum determinationibus, licet Fratribus Nostris acquiescere, deposito omni timore, ac scrupulo Iulius II. Prædic. Bulla 1. apud Confect.& Leo.X. Minoribus, vt in eius oraculis num. 14. prout testatur Card. Sanctorum Quatuor Coronatorum, die 15. Aprilis 1516. Vide Mirandam, p.2.quæst.44. art. 2. Vide supra V. Declarare; num. 2.

4 In arbitrio Prælatorum nostrorum positum est, committere, seù delegare confessarijs ordinis nostri quamlibet facultatem circa absolutiones, & dispensationes à Pontificibus sibi concessas. Necnon eligere sacerdotes in suos confessarios, qui eos absoluant, & cum eis dispensent in omnibus casibus, in quibus ipsi valent, proprios subditos absoluere, & cum eis dispensare Sixtus IV. Prædic. in eorum Marimagno, sub num. 15. Vide supra V. Absolutio, quo ad Fratres, in Animaduers. post num. 5.& V. Dispensatio, nu. 10, in fine, & in Animaduers.

ANI-

ANIMADVERSIO.

ABsque vlla speciali concessione per Pontificem facta, iure communi posse Prælatum delegare priuilegium, quod habet ratione Officij; absoluendi subditos, & cum eis dispensandi; Auctores sunt,(post Glos.in cap.fin.de offic.iud.ord.) Sylu. V. Delegatus,num. 11.Sa eod. V.num.2.& V.Gratia,num.27.

PRIVILEGIA.

1 QVi auocant homines ab ingressu nostræ Religionis, seu ingressos abducunt, vel eos recipientes aliqua iniuria afficiunt excommunicatione latæ sententiæ Summo Pontifici reseruata feriuntur Iulius II. Patribus Oliuetanis, Non. Iulij 1507. *Et si vniuersos*, & infra. *Nec quisquam personas, quæ de iure communi Religionem ingredi non prohibentur ex seculo fulgentes verberibus, aut violentijs quibuslibet impedire, vel prohibere, aut à Monasterijs vel locis congr. eiusdem præsentibus, vel futuris diuertere, aut super hoc illis, vel eas recipientibus iniuriam, vel molestiam aliquam irrogare præsumant, contrafacientes vero præsentium notitiam habentes, vel qui eas ignorauerint, & postquam ad eorum notitiam deuenerint, à præmissis iniurijs, et violentijs non destiterint excommunicationem ipso facto incurrant; à qua præterquam in articulo mortis constituti, nisi à sede præfata absolutionis benefitium nequeant obtinere.* Vt in Bullario Laertij Cherubini.

ANIMADVERSIO.

QVi suasione solum absque vi, & fraude impedit aliquem à suscipiendo statu religionis, vel Nouitium iam à suscepta retraxit non tenetur ad vllam restitutionem ipsi, vel Religioni faciendam Sot.4.de Iust.quæst. 6. art.3. Valentia to. 3.d.5.quæst.6. p.5. versic. Quinta assertio §. 1. Quod si vis aliqua, vel fraus in hac re adhibeatur tunc ei cui hæc iniuria fit restitutio facienda est, dolum, & fraudem remouendo, & exortando ad ingressum, seu perseuerantiam in Religione; ex præfatis Auctoribus. Qui autem Religiosum non amplius nouitium extraxit à suo ordine vi, vel fraude, tenetur au-

ferre

ferre vim, aut fraudem, vt si ille velit reuerti possit; quod si non reuertitur, loco eius non tenebitur ingredi, qui illum extraxit, ex Valentia l.c. Lessioq; lib. 2. cap. 8. dub. 3. Tenetur tamen ad satisfactionem aliquam Monasterio, vt tradit Sot. l.c. Quod si non vi, vel fraude retraxit, sed precibus tantum vsus fuit, peccat quidem contra charitatem, sed immunis ab omni restitutione censetur Tol. lib. 5. cap. 19. sub num. 14. alias 7.

2 Cùm illius sit interpretari, cuius est condere arg. l. fin. C. de leg. prohibetur omnibus Ecclesiarum Prælatis interpretari priuilegia, & Indulta ordini nostri, sed eorum interpretatio reseruatur Sedi Apostolicæ per Priuilegium Clem. IV. Prædic. & Minoribus concessum. Vt in Collect. Rod. Non. Iulij anno quarto sui Pontificatus. *Ordinis vestri sacra Religio*, & infra, *Quia vero &c. Nos vestris supplicationibus annuentes, ne præfati Archiepiscopi, Episcopi, & Prælati, prædicta Priuilegia, & Indulgentias, siue clara, quæ interpretatione non indigent, siue dubbia contineant, de cætero interpretari præsumant auctoritate præsentium districtius inhibemus. Volentes, vt cùm eius sit interpretari cuius est condere interpretatio super huiusmodi dubijs, & obscuris dictæ sedis Iudicium requiratur.*

ANIMADVERSIO.

Non pugnat præfatum priuilegium cum illis, quæ habentur supra V. Declarare, num. 1. 2. & 3. illa enim locum habent in Fratribus nostri Ordinis. Id autem in cæteris.

3 Nunquam censetur derogatum priuilegijs nostræ Congregationis, nisi de ipsis, & de Congregat. nostra, de verbo ad verbum fiat expressa mentio. Non obstantibus quibuscunque literis Apostolicis. Eug. IV. Prædic. Vt in Comp. Minorum tit. eod. num. 6. & qq. regg. to. 1. quæst. 9. art. 6.

ANIMADVERSIO.

Illud autem scire operæpretium est, licèt priuilegia concessa sub hac forma, vt non censeantur reuocata, nisi in reuocatione fiat ipsorum mentio de verbo ad verbum. Censeri tamen sufficienter reuocata, si in reuocatione adhibeatur hic modus loquendi. Reuocamus priuilegia, quamuis concessa sint sub hac forma, vt non censean-

tur

tur reuocata, nisi illorum fiat expressa mentio; aut nisi recensentur de verbo ad verbum, immo etiam sufficienter reuocantur per hanc verborum formam; Non obstante Priuilegio sub quacumque forma concesso: Videas Suarez de leg. lib. 8. cap. 38. num. 2. Rod. qq. regg. to. 1. q. 9. art. 6. Azor. p. 1. lib. 5. cap. 22. quæst. 12. Sanchez de Matr. lib. 8. disp. 33. nu. 8. & Comit. lib. 1. Resp. moral. q. 103. num. 3.

Cùm stare non prohibeatur, quod expresse non reuocatur. l. sancimus, Cod. de Testam. Glossa in cap. Cupientes, §. Quod si per viginti, V. petere, de elect. in 6. Cumq; ex communi DD. traditione, priuilegium minimè reuocetur, nisi sufficienter fiat mentio ipsius priuilegij: meritò licet asserere, Declarationes S. R. E. Cardinalium, priuilegijs Regularium aduersantes, non inualidare, seù infringere talia priuilegia; nisi de mandato Summi Pontificis, eisdem priuilegijs sufficienter, saltem per clausulam generalem, derogetur. Nam secunda dispositio contraria, non derogat priori priuilegio, nisi facta aliqua eius mentione; cap. Veniens, de præscript. DD. in cap. sicut Romana, de Rescript.

Has porrò declarationes vim legis omnes, & singulos obligantis habere, in confesso est apud Bonaccinam, de leg. disp. Et quæst. 1. punct. 8. num. 4.

Hoc loco opportunè admonere volumus Lectorem in tertij præiudicium numquam credendum esse Cardinali asserenti penes se esse Pontificium viuæ vocis oraculum. Abbas p. 2. conf. 18. num. 2. Idem in cap. sicut nobis, de sent. excom. num. 5. Nauar. conf. 9. de off. Iud. Card. Tuscus, V. Cardinalis, concl. 103. num. 3. & alij.

4 Prior noster Generalis, consentiente toto capitulo generali, seù maiori ipsius parte, habet facultatem declarandi, cessandum ne sit ab vsu alicuius concessionis, qua facta declaratione, non erit nobis integrum tali vti concessione, perinde, ac si reuocata fuisset à Pontifice. Paulus V. S. Mariæ Fuliensi, Viuæ vocis oraculo, facto Card. Bellarmino 10. Septembris, 1609. vt in eorum Comp. tit. Generalis, nu. 10.

ANIMADVERSIO.

QVi Rod. qq. regg. to. 1. quæst. 9. art. 2. legerit, reperiet, Capitulum generale cuiuslibet religionis gaudere facultate restringendi, seù tollendi cæteris Fratribus vsum priuilegiorum tali Religioni concessorum.

5 Si

5 Si Prior Generalis depræhenderit quempiam ex Fratribus nostris, gratijs, & priuilegijs Apostolicis abuti, poterit huiusmodi priuilegia suspendere, donec Rom. Pontificem super hoc consulat, & responsum accipiat; onerando in hoc conscientiam ipsius Generalis Minorum, Vt habetur in eorum Comp. tit. eod. nu. 9.

6 Omnis Apostolica concessio directè, vel per communicationem priuilegiorum facta ordini nostro, aut ipsius Priori Generali, eandem vim, efficatiamq; tàm in iudicio, quàm extrà, semper habet, ac si sigillo plumbeo munita esset. Iulius II. Augustin. Bulla citata, *Nihil est*; vt supra, V. Generalis, num. 3.

Idque locum habet, tàm in his, quæ in forma Breuis, quàm in his, quæ per supplicationis concessa sunt: In quibus signatura sola satis est. Idem Iulius II. præfatis Augustinianis. Vt supra l. c. Et in Comp. Minorum, tit. eod. nu. 18.

Præfata porrò priuilegia, seù eorum exemplaria transumptaue, si alicuius Prælati, vel Notarij manu signata, aut etiam Prioris nostri Generalis sigillo munita exhibeantur; eadem fides eis adhibenda erit, quæ adhiberetur, si plumbeum signum haberent. Idem Iulius II. l. c. Et in Comp. Minorum eod. tit. num. 19.

Et Leo. X. Minoribus, addita clausula. *Non obstantibus*, dummodo publici Notarij manu scripta, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, firmata existant. Vt in Comp. Minorum, eod. tit. nu. 31. Ac in qq. regg. to. 1. quæst. 8. art. 16.

Quæcumq; toto hoc, num. 6. & supra V. Generalis num. 3. complectuntur, confirmauit, & de nouo concessit ijsdem Augustin. idem Leo. X. die 6. Maij 1514. apud Confettium, Constitu. *Licèt spontè nostra*, & infra, *Præterea, vt omnia quàm firmissima sint, quæ vobis eadem sedes elargita est: Motu proprio, & ex certa scientia, atque de plenitudine potestatis, volumus, statuimus, & decernimus, vt hæc nostra concessio, & quæcumque alia, vel tibi, vel tuo Ordini facta, siuè per se, siuè per communionem, quam fecimus cum alijs ordinibus, & Congregationibus, eandem omnino vim, atque efficaciam perpetuò habeant, tam in Iuditio, quàm extra iudicium, quam si plumbeo sigillo obsignatę essent, haberent: quod intelligi volumus tàm de ijs, quæ in forma Breuis, quàm de ijs, quæ per supplicationes expedita sunt, in quibus placuit, quod sola signatura sufficeret. Quamobrem, tàm omnibus præmissis, quàm quæcumq; alia fuerunt tuo Ordini, vtrumq; concessa, siuè ipsa exemplaria, siuè eorum transumpta ostendantur,*

Prælati

Prælati alicuius, aut publici Notarij manu signata, aut etiam Generalis Ordinis sigillo firmata, eodem motu, scientia, & potestate decernimus, mandamusq; eandem omnino, & vim eis inesse, & fidem adhiberi, ac si plumbi signum haberent. Quod si quis huic nostro Decreto, ac concessioni, aut cuiquam aliarum, quæ tuo ordini, vtcumq; facta sunt contraire, aut minus integrè cedere, & parere ausus sit, volumus, & eandem pœnam incurrant, &c. Vide infra num. 8.

7 Conceditur nobis vsus nostrorum priuilegiorum, tametsi ob eorum ignorantiam, aut in aduertentiam retroactis temporibus illis vsi non fuerimus; dum tamen præscriptione, aut aliàs legitimè non sit eis derogatum. Nicolaus IV. Carthusiensibus. Vt in Comp. Minorum, eod. tit. num. 33. Vide qq. regg. Rod. to. 1. q. 56. art. 3. col. 5. & Notab. 12. nostræ introductionis.

ANIMADVERSIO.

QVamuis priuilegium concessum Ecclesiæ per non vsum quadraginta annorum cesset, per Innoc. in cap. Accedentibus, de priuil. Tamen contra Monasteria, loca, personas, vel alia Religiosorum bona, non currit præscriptio, nisi per non vsum sexaginta annorum. Ita Eug. IV. Benedictinis, Bulla 7. apud Collect. Rod. Quibus etiam Centenariam præscriptionem, per eundem Pontificem Bulla 17. l. c. fuisse concessam, Auctores sunt, Confett. Rod. & Io. Cruz. Vide supra V. Confirmatio Priuilegiorum, in Animaduersione.

Præscriptio centenaria ante Eug. IV. per Honorium, 3. Priori, & Conuentui Lateranensis Ecclesiæ concessa fuit, Non. Kal. Maij 1214. Const. *Sedis Apostolicæ*, hisce verbis; *Inde est, quod cum Lateranensis Ecclesia speciale membrum Sedis Apostolicæ existat, statuimus, & sancimus, vt sicut contra Romanam Ecclesiam non nisi centenaria currit præscriptio, secundum constitutiones Canonicas, & legitimas sanctiones; ita quoq; ipsi Ecclesiæ minoris temporis præscriptio non obsistat.* Vt latius videre est in Bullario Canonicorum regularium Lateranensium, fol. 128. Quod etiam confirmauit Gregorius Nonus. non. Kal. Maij 1228. Const. *Sedis Apostolicę*, quæ habetur l. c. pag. 143.

Id ipsum concessum fuit à Pio IV. Congregationi Montis Olìueti, à Rod. to 1. qq regg. q. 36. art. 3. col. fin. relatum.

Vt autem dicta præscriptio legitimè currat requiritur; Primò; notitia

notitia talis priuilegij, & voluntas non vtendi illo. Ita Rod. in qq. regg. tom. 1. quæst. 8. art. 5. & quæst. 55. art. 19. Vide etiam Comit. lib. 7. q. fi. nu. 5. Secundò, contingere debet casus, de quo priuilegiũ, infra tempus talis præscriptionis loquitur, vt dictũ est supra Notab. 12. quæ tamen ob multiplices priuilegiorum confirmationes, & innouationes interrumpitur. Quod enim à Paulo III. vt supra, id. Maij 1535. nobis concessum est; Pius V. Cal. Aprilis 1565. semel, & iterum die 30. Martij 1571. Motu proprio, ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine confirmauit, innouauit; & omnes defectus, si qui forsam, quomodolibet interuenerint in eisdem, suppleuit. Ac denique Gregor. XIII. die 25. Maij 1579. denuo ex certa scientia approbauit, innouauitq;. Quod verò ad priuilegia aliarum Religionum, quarum communicationem habet Congregatio nostra, vt supra Notab. 5. dictum fuit; planum est, Sixtum V. die 3. Octobris 1587. Ex certa scientia approbasse, & confirmasse priuilegia Fratrum Minorum. Clem. VIII. die 25. Septemb. 1601. approbasse, & confirmasse priuilegia Ord. S. Patris Hieronymi Hispaniarum, & singulos tàm iuris quàm facti, ac solemnitatum, etiam substantialium defectus, si qui interuenerint in eisdem, suppleuisse, &c. apud Collect. Rod. Paulum V. priuilegia Ordini Prædicatorum confirmasse, & præcepisse Ordinarijs sub censuris &c. ne eos impediant, quominus eisdem priuilegijs vti valeant. Sic ex literis Ioannis Dominici Spinulæ, Auditoris Cameræ Apostolicæ sub die 11. Octobris 1612. apud Io. Cruz lib. 2. cap. 3. dub. 5. concl. 3. Postremò, Vrbanus VIII. die 28. Iunij 1624. ex certa scientia confirmauit, & approbauit Priuilegia Minimorum, vt patet in lib. suorum priuil. &c.

Huiusmodi confirmationibus, & innouationibus recensitis, manifestè apparet nostræ Congregationis priuilegia minimè reuocata per non vsum centum annorum, quos certum est non transisse à supradicta concessione Pauli III. vsq; ad Confirmationem Greg. XIII. & ab ista, vsq; in præsentem annum 1628. ommissis alijs confirmationibus, nec quidem sexaginta.

His adde, priuilegia Regularium, à Leone X. in Concil. Later. an. 1516. reuocata fuisse, postmodum ab ipso Leone pro Ord. Tertiariorum, die septimo Martij 1518. in Bulla, quæ incipit, *Nuper in Sacro Later. Conc.* &c. innouata. Idem pro Ord. Prædicatorum, *Motu proprio, ex mera scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, non obstantibus quibuscumque Apostolicis suspensionibus, reuocationibus, & re-*

strictionibus, siue constitutionibus, & ordinationibus, Necnon in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis generalibus, &c. sub die 21. Iunij 1518. apud Rod. Bulla 33. Paulus III. pro Ordine Minimorum, vt supra V. Pacta, in Animaduers. Et Greg. XIII. de potestatis plenitudine eiusdem ordinis priuilegia confirmauit, innouauitq; cum speciali clausula. *Non obstantibus præmissis, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam generalis Concilij Lateranen. vltimò, celebrati &c. sub die* 10. *Octob.* 1575. Vt in libro priuil. fratrum Minim. Et plures alij Summi Pontifices post Leonem diuersorum Ordinum priuilegia confirmarunt, vt dictum est supra; excipiendo tantum, quæ per non vsum sunt reuocata, & quæ decretis Conc. Triden. aduersantur. Vide Rod. to. 1. qq. regg. q. 8. art. 3. 4. 5. & 11. quæst. 56. art. 3. col. 5. & to. 3. quæst. 58. art. 3.

8 Seculares, qui ausu temerario, priuilegijs nostris contraire præsumpserint, tanquam excommunicati denuntiari possunt. Clerici verò vltra præfatam censuram, dignitatibus, ac beneficijs, quæ obtinent priuati existunt; itaut liberè à Prælatis cæteris conferri valeant. Leo. X. Augustinianis, in præcitata Bulla, *licet sponte nostra*, & infra. *Quod si seculares Vestro Marimagno, vel cuiquam concessionum vestrarum contraire temerè audeant, pro excommunicatis publicari volumus. Si Clerici, præter censuram supradictam, dignitatibus, & beneficijs Ecclesiasticis priuatos esse, eaque liberè impetrari posse decernimus.*

ANIMADVERSIO.

EXploratum omnibus esse volumus, durante Anno Iubilei plenissimi; Mendicantium priuilegia, quo ad quinque, suspendi solere; videlicet; Quo ad Plenarias Indulgentias, quo ad votorum commutationem, ac dispensationem, in maleq; ablatis compositionem, ac etiam quo ad absolutionem à casibus Sedi Apostolicæ reseruatis; sicuti videre est supra V. Indulg. in fine.

Motu

De nonnullis clausulis Priuilegiorum. Videlicet de

- Motu proprio. Vide Suarez de leg. lib. 8. cap. 12. num. 8. &c.
- Certa scientia. Rod. qq. regg. to. 1. q. 8. art. 2. & 16. Suarez l. c. cap. 18. nu. 5. 6. & 12. & cap. 19. num. 4. 5. & 10. & cap. 20. num. 2. 8. & seqq. &c.
- Apostolicæ Potestatis. Plenit. Rod. l. c. art. 16. Suarez l. c. cap. 18. num. 6. &c.
- Quatenus sunt in vsu Rod. l. c. art. 3. 4. & 9. Suarez l. c. cap. 18. num. 16. 17. & 18. cap. 34. nu. 3. 4. 5. & seqq. &c.
- Suppl. defectus Rod. l. c. artic. 16. Suarez l. c. cap. 20. num. 11. 12. &c.
- Non obstan. quibuscumq; Constitutionibus per Rod. l. c. q. 8. art. 11. & 12. Sanchez de Matr. lib. 3. disp. 26. num. 6. & 7. & lib. 8. d. 35. num. 17. Suarez l. c. cap. 14. per totum &c.

PROCESSIONES.

1 Quemadmodum ex Concil. Trident. sess. 25. de Regul. cap. 13. tenemur ad publicas processiones accedere, ita ex declaratione S. Congreg. eiusdem Concil. Compelli non possumus ad easdem processiones, si loca nostra per dimidium milliare extra Ciuitatem sita fuerint. Ita refert. Quaranta. V. Præcedentia.

ANIMADVERSIO.

Neutiquam tamen prædictis Processionibus nos interesse nolentes, per Censuras ab ordinarijs esse compellendos. Vide supra V. Excommunicatio in Animaduers.

Quoniam verò sequens Declaratio quorumdam vsibus deseruire poterit, non abre videtur eam formalibus verbis hic afferre.

Congregatio Sacrorum Rituum ad tollendas controuersias, quæ post concessam Fratribus Capuccinis crucis erectionem inter Regulares circa præcedentiam in processionibus ortæ sunt, censuit (Illustrissimo Melino referente) Capuccinos cedere debere digniorem locum ijs, qui sub propria Cruce, & in proprio loco in processionibus incedebant antequam ipsi Crucem propriam deferrent. Romæ die Sabbati. 23. Martij 1619.

A. Mar. Ep. Ostiens. Card. Gallus.

Petrus Ciammareconus Secret.

Scire autem necesse erit, ordinarium non posse adigere censuris Regulares, ad communes Processiones, sed alijs pœnis Ecclesiasticis. Sicuti explicant Henriquez libro septimo, de Indulg. capit. 25. numero [illegible]. Quaranta lo. cit. Vide supra V. Excommunicatio, in Animaduers.

Nequeunt Prælati regulares absque contrauentione constitutionis Pij V. & pœnarum illius incursu, processiones extraordinarias intrà sua claustra instituere ad eum finem, vt mulieres ingredi possint. Sanchez lib. 7. moral. cap. 17. nu. 23. oppositum tenet Bonac. de clauf. p. 5. p. 4. num. [illegible]

Nefas etiam erit, mulieres Vesperi claustra ingredi, quando mane processiones sunt celebratæ. Sanchez ibidem nu. 24.

2 Libet hoc loco sequens Viuæ vocis oraculum, eius qui sequitur

tenoris,

tenoris, inferre. *Nos Alexander miseratione Diuina Tit. Sancti Ioannis ante Portam Latinam, Præsbyter Cardinalis Cribellus nuncupatus, omnibus, & singulis præsentes nostras literas inspecturis, lecturis, & auditoris, fidem facimus indubiam, & in verbo veritatis attestamur, qualiter Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus. Pius. Diuina prouidentia Papa Quintus. Viua vocis oraculo nobis facto, dixit, & declarauit, fuisse, & esse mentem, & intentionem suam, quod eius litera sub forma Breuis sub die 24. Octobris 1566. Pontif. sui anno primo edita, in quibus, mulieribus quibuscumque ingressus Monasteriorum regularium, cum derogatorijs clausulis, & irritantibus decretis, probibeatur non solum comprehenderent, & comprehendant mulieres habentes, & habere prætendentes facultatem, & indulta ingrediendi huiusmodi Monasteria, sed etiam omnes, & quascumque mulieres, aliàs, tàm in genere, quàm in specie, significans nihilominus idem Sanctissimus D. N. eodem Viua vocis oraculo nobis facto, quod propter hoc, & per dictas suas literas non intellexit, nec intelligit, quod mulieribus præclaudatur aditus accedendi ad Monasteria, & loca regularia, ac illorum claustra, quando in eis Missa, ac alia diuina officia celebrantur; Ac quando Processiones fiunt; Et quando Christi fidelium Cadauera ibi sepeliuntur. Ac etiam pro eis suffragia fiunt; sed liberè concessit, & concedit eisdem omnibus mulieribus, facultatem, vt ad illa loca, in quibus dicta pia opera exercentur, cum alijs catholicis personis accedere liberè, licitè possint, & valeant. Et similiter, quod quando Diuinum Verbum in Ecclesia Monasteriorum, & regularium locorum huiusmodi proponitur, vel propter aliam quamcumque causam est tantus concursus populi, quòd commodè ingredi non possunt, & egredi per principalem portam Ecclesiæ, concessit, & concedit eodem Viua vocis oraculo, Vt dictæ mulieres vnà cum alijs secularibus personis, possint ingredi, & egredi per portam claustri Monasteriorum, & regularium locorum huiusmodi, dummodo recto tramite accedant ad portam, qua exitur à Monasterio. Non obstantibus priuilegijs, & literis Apostolicis; ac quibuscunque in contrarium facientibus. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium præmissorum præsentes nostras literas, exinde fieri fecimus, illasque manu propria subscripsimus, sigillique nostri, quo in talibus vtimur, impressione communiuimus. Dat. Romæ in Palatio Apostolico, in ædibus nostræ solitæ residentiæ, sub anno à Natiuitate Domini 1568. Indictione 11. die verò 27. Mensis Ianuarij,*

Pontificatus prælibati Sanctissimi Domini Nostri Papæ Pij. V. anno Tertio.

Sixti V. quoque extat simile Viuæ vocis oraculum, quod tale est. *Ludouicus miseratione Diuina Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Tit. Sancti Honuphrij Præsbyter Cardinalis Madruccius, Episcopus Tridentinus, & Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Hieronymi, Congregationis Beati Petri Pisani, Protector, & c. Vniuersis, & singulis, præsentes inspecturis salutem in Domino sempiternam. Cùm aliàs Sanctissimo Domino Nostro Sixto Diuina prouidentia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Papæ V. supplicauerimus, Vt ad augendam deuoti fœminei sexus pietatem, eiusdem sexus personis gratiosè indulgere dignetur, quatenus solemnes processiones, & supplicationes, quæ in posterum, in templis, & claustris congregationis, & Ordinis prædictorum celebrabuntur, comitari, (& non obstantibus regulis, & constitutionibus, tàm ipsius Congregationis, quam alijs quibuscumque etiam Apostolica auctoritate firmatis) per claustra eiusmodi, processiones comitando ingredi, & egredi licitè valeant. Idem Sanctissimus D. N. præcibus nostris inclinatus, cum prædicto sexu, in hunc casum, quando videlicet processiones, & supplicationes solemnes habebuntur, misericorditer dispensauit. Ita tamen, vt recto tramite processiones ipsas, debita cum reuerentia sequantur: Et tantum per ambitus, & claustri loca, ad hoc specialiter deputata, nullam alioquin moram ibidem trahendo, pertranseant. Atque ita sanctitas sua Viua vocis oraculo coram nobis declarauit. In quorum &c. Romæ die 16. Nouembris 1585.*

Ludouicus Card. Madruccius.

Hermanus Otembergus.

Quarta funeralium.

Vide supra V. Canonica portio, & V. exemptio.

RECIPERE.

VIde V. Apostata.

RECONCILIATIO.

VIde supra V. Benedicere.

RELI-

RELIQVIÆ.

1 NOn constat, eos, qui extrà Vrbem Reliquias surripiunt, excommunicatione iure communi ligari nullibi enim hoc apparet. Bonac. de leg. disp. 3. quæst. 1. pun. 4. num. 9.

ANIMADVERSIO.

PEccat mortaliter crimine sacrilegij, qui Reliquias ex quouis loco surripit, nisi Domini ratihabitio intercedat. Azor. par. 1. lib. 9. cap. 8. dub. 9. Sanchez lib. 2. moral. cap. 43. quæst. 23. negans, materiæ paruitatem non semper hac in re à mortali culpa excusare, talis enim potest esse dignitas surreptæ reliquiæ, tantaque illius æstimatio, vt damnum alicuius momenti resultet, nec leuis irreuerentia contingat.

SACRA.

VIde V. Calices, & Corporalia.

SACRAMENTA.

VIde V. Communicare.

SCRVPVLI.

VIde V. Prior num. 3.

SEPVLTVRA.

1 ACcedente consensu nostrorum Superiorum, omnes vtriusq; sexus Christi fideles, (excommunicatis Interdictis, & publicis vsurarijs exceptis) sepeliri possunt in Ecclesijs Ordinis nostri, saluo iure Ecclesiarum, à quibus corpora leuantur. Nec vllus id valet impedire. Sixtus IV. Augustin. in Marimagno sub num. 3. Innoc. VI. & Clem. IV. Minoribus, vt in eorum Comp. V. sepelitio numero 1. 3. 4. Et Sixtus IV. in eorum Marimagno; num. 30. Innoc. VIII.

Seruitis, in eorum Marimagno fol. 7. & Pius V. omnibus regul. in Bulla, *Etsi*, sub num. fin.

ANIMADVERSIO.

ETiam absq; priuilegio, iure communi id fieri potest, per Clem. Dudum, §. Huiusmodi quoque, de sepult.

2 Neque etiam Fratres Nostri, vel defunctorum consanguinei compelli possunt, inuiti corpora præfata ad Ecclesias Parochiales, vel ad alia loca deferre, & cum illis, vel sine inibi celebrari facere pro eisdem defunctis aliqua Diuina officia ante, vel post eorundem sepulturam quauis consuetudine non obstante. Sixtus IV. in Marimagno Minorum, sub numero 41. Et in Comp. eorum Tit. eod. numero 10.

3 Nobis inuitis illicitum est omnibus clericis secularibus, ac etiam regularibus, Missarum solemnia, vel exequias defunctorum in Ecclesijs nostris celebrare. Sixtus IV. Minoribus in Marimagno, nu. 31. Et Augustinianis, ibidem, num. 3.

ANIMADVERSIO.

CVm præfato priuilegio magnam affinitatem habent quædam Decreta SS. Congr. Cardd. super Interpretatione Conc. Trid. & Sacrorum Rituum: Quæ in hæc verba à Comp. Cler. regg. p. 2. afferuntur.

Cùm quæstio verteretur, & Coràm DD. Cardd. Congr. super interpretatione Concil. Trident. de supradictis in numero 3. fuit hoc modo decisum.

Quoties cadauera ad Ecclesias Fratrum Mendicantium deferuntur, officia mortuorum, ac reliqua munera, quæ in huiusmodi ministerijs adhiberi solent, non à Canonicis, neque à Clero; sed ab eisdem Fratribus obiri, ac peragi debent.

In Congreg. etiam DD. Cardd. Sacrorum Rituum, cum eadem quæstio verteretur, fuit similiter decisum in modum, qui sequitur.

Congregatio censuit, non licere Capitulo, & Clero liciensi, quoties, prætextu etiam asociandi ad sepulturam defunctorum cadauera, in Ecclesia sanctæ Irenes Clericorum Regularium, missam, aut alia Diuina

ua officia ipsis regularibus inuitis, celebrare, aut psalere. Sed associato funere ad Ecclesia portam, debere Parochum, vel illum ex capitulo, & Clero penes quem Animarum Cura exercitium extitit, ad populum conuerti, eique absolutione impartita recedere, relicto cadauere in Ecclesia dictorum Clericorum regularium, ad quos duntaxat peragendi cura spectabit.

Censuit insuper, *Cadauera in Cathedrali Ecclesia occasione præmissorum depositata vnà cum omni, & toto eo, quod ad dictum Capitulum, & Clerum, seù Episcopi œconomum, ratione funeralium, habere contigerit, exceptis duntaxat iuribus parochialibus, prædictis Clericis regularibus restituenda. Et per prædictos Capitulum, & Clerum ad dictam Ecclesiam Sanctæ Irenes gratis, & absque vlla etiam minima impensa hæredum defunctorum, seù dictorum Clericorum regularium transportanda, & associanda esse. Cum enim consueta præstatio semel soluta fuerit, æquum non videtur, vt pro eodem opere duplicata stipendia persoluantur; Necnon pecunias à clericis regularibus, Capitulo, & Clero supradictis aliàs persolutas, vt ab interressentia Diuinorum officiorum in Ecclesia prædicta celebrandorum abstinerent integrè restituantur. Ac Illustr. ac R. P. D. Auditori Cameræ præmissorum exequutionem, & obseruantiam iniungendam esse.*

Alph. Episcopus Ostiens. Card. Gesualdus.
Bonastella secretarius.

In alia verò causa Bitontina, idem fuit directum modo quo sequitur.

Pro Clericis regularibus Sancti Siluestri in Ciuitate Bitontina commorantibus, quo ad funera, & sepulturas; Congregatio Sacrorum Rituum, decreuit, in omnibus seruandum esse Decretum in simili causa ab ipsa Congreg. aliàs factum pro eisdem clericis, contra Episcopum, & Capitulum Ecclesiæ Liciensis; Et propterea, non licere Clero Ecclesiæ Bitontinæ, inuitis prædictis Clericis, in eorum Ecclesia, Missas, seù officium defunctorum celebrare, seù cantare; sed associato funere ad eorum Ecclesiam redire debere, iuxta dicti Decreti Liciensis; die 10. Iunij anno D. 1602.

Alph. Card. Commissarius.
Io. Baptista Mocantius pro Secr.

Aliud etiam Decretum Congreg. Cardd. negotijs Episcoporum,

rum, & Regularium præpositorum, extat in libro secundæ Synodi Cæsaris Speccani, Episcopi Cremonensis pag. 197. eius qui sequitur tenoris.

Sacra Congregatio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardd. quæ negotijs, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præest. Laudabili consuetudine Metropolitanæ Ecclesiæ Mediolanensis, ac iustis, & rationabilibus causis adducta; statuit, decernit, & declarat, licere Canonicis, & Capitulo Ecclesiæ Cremonensis quoties defunctorum funeribus intersunt, & mortuorum corpora, seù cadauera ad quascumque eiusdem Ciuitatis Ecclesias Parochiales, Collegiatas, ac etiam Regularium, Mendicantium, & non Mendicantium, & quarumcumque Confraternitatum, & Hospitalium comitantur, postquam eò est peruentum, ingredi Ecclesiam, atq; in illa super ipso corpore psalmum Miserere, &c. vel, De profundis clamaui, &c. cum versiculo, responsorio, ac oratione pro defuncto; sine tamen stola, & pluuiali recitare, vel decantare. Officium verò mortuorum, aliasque preces, & cætera munia, quæ deinde in huiusmodi ministerijs adhiberi solent, ab illius tantummodo Ecclesiæ ministris, ad quam funus est delatum, peragi, & obiri debere atque ita obseruari districtè præcipit, & mandat. Non obstantibus quibuscunque. Romæ die 9. Augusti 1604.

Alex. Card. Florent.

Berling. Gipsius Secretaris.

In præmissorum exequutionem, emanarunt, item litteræ Ioannis Dominici Spinulæ Cameræ Apostolicæ Auditoris, Vicentiæ impressæ, tenoris sequentis.

Vniuersis, & singulis DD. Abbatibus Prioribus, Præpositis, Decanis, Scholasticis, Cantoribus, Thesaurarijs, Sacristis, tam Cathedralium, quam Collegiatarum, Canonicis, &c. cæterisq; Clericis, &c. ad quos præsentes nostræ litteræ peruenerint, Noueritis, quod altàs sacra Congregatio Illustrissimorum, & Reuerendissimorum DD. Cardd. Sacri Concil. Trident. interpretum, censuit, vt quatenus cadauera ad Ecclesias Fratrum Mendicantium deferuntur, officia mortuorum, & reliqua omnia, quæ in huiusmodi ministerijs adhiberi solent, Non à Canonicis, sed ab ipsis Fratribus peragi debeant.

debeant. Pro cuius inserti Decreti totali obseruatione, ex parte Adm. RR. DD. Patrum Procuratorum Generalium Ordinis Mendicantium principalium agentium, & instantium, instanter, & debitè requisiti. Vobis omnibus, & singulis supradictis, &c. committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus statim visis, ac receptis presentibus &c. moneatis &c. prout nos requirimus, & monemus Vener. Capitulum, & RR. DD. Canonicos, & Clerum Ciuitatis, & Diœcesis Vicentinæ, &c. quatenus visis, &c. sub quingentorum Ducatorum auri, &c. Et in iuris subsidium, quatenus opus sit, excommunicationis, alijsque Ecclesiasticis censuris, & pœnis debeant, & quilibet ipsorum debeat preinsertum decretum, & omnia, & singula in illo contenta, & expressa realiter, & cum effectu obseruare, ac omnino obseruari vidisse, &c. mandari debitę exequutioni, &c. Romæ Ann. Domini 1614. Indictione 12. die 28. Februarij. ——

Io. Bapt. Vatellus Curię Cardd. Camerę Apostolicę Notarius.

L. A. Vitilis l. n. S.

Imprimatur. Marcus Antonius Ca

F. Aloysius de Vrceis Mag. & Vic. Sanctę Inquisitionis Vicentię.

4 Superioribus Nostris licitum est, Cadauera in Ecclesijs, Capellis, & Cæmeterijs nostris exhumare, illaque ad alia loca de consensu eorum, quorum interest, in ijsdem Ecclesijs, & Cæmeterijs transferre. Leo. X. Minoribus, in eius oraculis, num. 5. Vt testantur litteræ Card. SS. Quatuor Coronatorum die 15. Mensis Aprilis 1516. Et in eorum Comp. Tit. eod. num. 20.

ANIMADVERSIO.

QVemadmodum interdicta est religioso electio Sepulturæ cap. fin. de Sepult. in 6. Ita concessa ei præsumitur talis electio, quoties adeo remotè à Monasterio moritur, vt ad illud commodè portari non possit, ita ex multis probat Sanchez lib. 6. moral. c. 14. nu. 3. Quod si moriatur extra Monasterium, non electa sepultura, sepeliendus erit in Ecclesia Parochiali, in qua decessit, instar secularium in itinere morientium, tenebiturq; monasterium expensas funeris soluere; secundum Sanchez l. c. nu. 4. & 5. vbi, & alij.

TE-

TESTAMENTVM.

VIde V. Nouitius in Animaduerſ.verſic. *Quantum ad ſecundum,* & verſ. *Nihilominus.*

TESTIMONIVM.

1 EXtra ordinem noſtrum cogi non poſſumus ab vllo Iudice ſeculari, vel Eccleſiaſtico ad teſtificandum, vel ad ferendum iuramentum de calumnia, veritateque dicenda. Eug. IV. Congregat. Caſſin. apud Rod. *Et ſi ex debito* 7. *Kal. Martij* 1434. & infra, *Planè ne Prælatos, & monachos huiuſmodi, etiam cauſarum ſtrepitus inquietet, & ab otio ſancto deducat, ne quis prælatos, Monachos, & perſonas de huiuſmodi Congreg. ſubire de Calumnia & veritate dicenda iuramentum, aut ad ferendum Teſtimonium quacumque ex cauſa compellet inuitos, ſiue extra Ciuitates, & Diœceſes ſuas trahat, ſeù in eos, vel eorum aliquem propterea excommunicationis, vel alterius cenſuræ, ſeù pœnæ ſententiam proferat per Litteras Apoſtolicæ Sedis, vel legatorum eius: niſi in eiſdem Litteris de huiuſmodi indulgentia, plena, & expreſſa, ac de verbo ad verbum facta fuerit mentio ſpecialis, eadem auctoritate indulgemus excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, & alias ſententias, ſi quas eos, vel aliquem eorum contra indultum huiuſmodi promulgari contigerit, decernentes præſentium tenore, irritas, & inanes &c.*

ANIMADVERSIO.

MIſſum non faciam, præfatum priuilegium practicari poſſe, quando veritas aliter haberi poteſt: nam ſi aliter veritas ſciri non poteſt, perſpicuum eſt; priuilegiatos compelli poſſe ad ferendum teſtimonium, exceptis cauſis ſanguinis; Atque ita Pius II. Oliuetanis priuilegium iſtud limitauit 3. Nonas Octobris. 1462. Licet *ex debito.* Vt ait Rod. regg. quæſt. tom. 2. quæſt. 11. artic. 2.

Excipito tamen Religioſos venientes ex loco peſte infecto, de hocq; à cuſtodibus loci raquiſitos, debere iurare iuxta mentem eorumdem cuſtodum, ad notata per Sanch. lib. 3. Mor. cap. 6. num. 35. vbi, & alij.

2 Ia

2 In proprijs nostrorum Monasteriorum causis ciuilibus, ac criminalibus, ne iùs eorum amittatur, possumus vti fratrum testimonijs, eaquè tanquam iuridica excipere. Eug. IV. Congreg. Cassin. & Leo X. Camald. in Bulla supracitata, *Etsi à Summo*, & infra; *Testimonia verò Pralatorum, Monachorum, Conuersorum, Commissorum, & Nouitiorum dicta Congregationis in causis ipsorum ciuilibus, & criminalibus in iudicio, & extrà, legitima, seù iuridica sint.*

ANIMADVERSIO.

NOn videtur omittenda Sanchez traditio, lib. 5. moral. cap. 5. num. 27. videlicet; Ineptum ad testimonium ferendum ob periurij, aut Furti maculam; per professionem effici aptum ad testificandum.

Licèt religiosi dicantur mortui Mundo; non tamen in omnibus, perinde de licentia sui Prælati poterunt esse testes in causis ciuilibus, prout ex speculatore, Panorm. cap. Cùm nuntius, num. 4. de Test. & alijs docent Angelus V. Testis num. 1. Si tamen absque licentia testificetur, valet nihilominus testimonium, secundum Panorm. & Sylu. l. c. In testamento quoque cum licentia superioris potest Monachus esse testis; ad notata per Euerardum loc. à seruo ad Monachum.

TRANSIRE.

1 INterdicitur nobis transitus ad quemuis alium ordinem, etiam strictiorem, etiam Carthusiensium; non obstantibus quibuscumq; priuilegijs, Apostolicisq; literis talibus ordinibus, & nostris professis concessis, ac concedendis, clausulis, & derogatorijs quibusuis suffultis, & munitis; nisi de licentia R. Prioris Generalis petita, & obtenta eiusmodi transitus fiat. Quicumque vero tali prohibitioni contrafecerit, tàm recepti quàm recipientes excommunicationis pœnam incurrant; cuius absolutio præter mortis articulum, Pontifici, seù R. Patri nostro Generali reseruatur. Inn. VIII. Ord. S. Patris Hieronymi Hispaniarum, referente Capuccino in Annot. ad Comp. Minorum, V. Apostata ab ordine. in fi.

ANI-

ANIMADVERSIO.

PRo intelligentia præfati priuilegij, plura, quæ longum esset recensere, videri possunt apud Sanchez op. mor. lib. 6. cap. 7. num. 59. & seq. Azor. Sylu. & cæteros, vt ibi, ad quos lectorem remittimus.

Quo minimè obstante, quilibet religiosus ad strictiorem, asperiorem, duriorem religionem transire potest petita humiliter, & si non obtenta licentia, cum iure communi, cap. licet, de Regul. ita dispositum sit. Vide Capucc. l. c. num. 6. Nauarrum in id referentem. Videas quoq; Bonac. de Clausur. quæst. 2. p. 9. §. 1. num. 1. & §. 2. num. 1.

Iusta causa subsistente, licitum est regulari, facultate à suo Prælato prius obtenta, transire ad laxiorem ordinem. Ita ex Panorm. cap. Non est, num. 6. & cap. significatum. in fi. de Regul. & alijs tradit Lessius lib. 2. cap. 41. num. 102. licet hæc non placeant. Bonac. §. 3. num. 13. & 14.

Causæ iustæ ex Lessio, sunt. Primò, si collapsa sit disciplina in strictione. Secundò, si odia, & simultates in ea vigeant. Tertiò, si ipse alijs sit exosus. Quartò, si ob corporis debilitatem non possit ferre rigorem.

Circa transitum de vnâ ad alteram religionem, extat sanctio S. Congregationis Cardd. à Quar. V. Monasteria, & Conuentus in hunc modum relata. Illustrissimi Cardinales definierunt, quod transitus ad parem, vel arctiorem religionem non fiat, nisi causa cognita transeuntis, & Vitæ, ac morum ratione, idque ex approbatione Capituli Generalis.

2 Prior noster Generalis dare potest suis subditis licentiam, transeundi ad alium Ordinem Mendicantium, & non Mendicantium, arctioris, paris, aut laxioris obseruantiæ; Qui sanè ordo ab eodem Generali erit præscribendus Greg XIII. Soc. Iesu, *Cum aliàs,* 22. *Septembris* 1582. habetur apud Collect. Rod.

ANIMADVERSIO.

VT transitus de vna ad aliam religionem sit licitus; quatuor concurrere debent conditiones, secundum Sanchez lib. 6. moral.

moral.cap.7. num. 2. Prima, vt regularis non prohibeatur transire. Secunda, ne temerè, leuiter, aut ex odio ira contemptu; sed melioris vitæ desiderio, ac etiam absq; iactura Religionis, à qua disceditur fiat transitus. Tertia, vt ad perfectiorem religionem transeatur. Quarta, vt facultàs transeundi petatur à Prælato, licet non obtineatur. Nihilominus ingrediens aliam religionem, inconsulto suo superiore, non censetur Apostata, licèt mortaliter peccet. Secundum Bannes, 2.2.quæst. 12. art. 1. vers. Quarta conclusio. Et Riccium l. c. Resol. 19.

Non obstat sanctio Pij V. *Quacumque sacrorum*, 1569. statuentis, Fratres alterius Ordinis recipi, aut retinere non posse ab vlla Religione, sed ad proprios Ordines remittendos: Quoniam agit solum de transeuntibus virtute facultatum concessarum aliquibus religionibus, quas omnes reuocat. Non autem de Transeuntibus vigore facultatis communi iure concessæ, in cap. liceat, de Regul. vt scribit Sanchez, l. c.

Porrò religiosus ad aliam religionem transiens, nil ex aquisitis in priori Monasterio præter vestes secum deferre potest, nec scripta à se elaborata. nisi inutilia essent priori Religioni: vel crederet ad id accedere superioris consensus, Sanchez lib. 7. moral. cap. 32. num. 13. Bonac. l. c. §. 4. num. 5.

Illicitum esse ingredi religionem laxiorem, gratia studendi, vt, peracto studio, fiat transitus ad strictiorem probat optimè Sanchez lib. 6. moral. cap. 7. num. 17.

Licentiæ regularibus concessæ ingrediendi quamlibet Religiogionem, non compræhendunt transitum ad Ordines Militares, nisi expresse id concedatur. Ita Sanctam Sacram Conregationem Cardd. negotijs Regularium Præpositam declarasse tradunt Sanchez. ibidem, numero 75. Et Steph. Quar. V. Monasteria, & Conuentus.

Non licet in posterum ad strictiorem Religionem transire, nisi prius superior certior factus sit, huiusmodi Religionem paratam esse, illum recipere, qui licentiam petit transeundi. Ex Decreto Sanctæ Congregationis Concil. Trident. in V. Apostata relato, in fin.

VER-

VERBERARE.

VIde V. Correctio. Et V. Eijcere.

VICARIVS.

1 PRioribus nostris à Monasterio absentibus, eorum Vicarij à iure habent iurisdictionem ordinariam, secundum Sà. V. Vicarius, num. 5. Sanchez de Voto, lib. 6. cap. 7. num. 17. proinde in foro conscientiæ omnia possunt, quæ ipsimet Priores possunt in suos subditos; vt puta absoluere à reseruatis; Dispensare; irritare; commutare; Benedicere, Determinare, seù declarare, &c. V. Absolutio quo ad Fratres, num. 2. & 3. V. Dispensatio, num. 4. 7. 9. 10. & 11. V. Benedicere, num. 1. & 2. Et qq. regg. to. 1. quæst. 19. art. 2. V. Prior, num. 3. Et V. votum. Possunt quoq; causa correctionis, subditos verberare; Vide V. Correctio num. 3.

Possunt insuper sibi eligere Confessarium, & cum se ipsis dispensare, prout Priores. Vide V. Dispensare in Animaduersione post num. 7. Et eodem V. in Animaduers. post num. 10.

ANIMADVERSIO.

EXplorati iuris est, Vicarium, ex vi muneris sui, omnia posse, quæ pertinent ad iurisdictionem illius, cuius vices gerit; sicut habetur ex Cod. de offic. eius, qui vices alicuius obtinet his exceptis, quæ sine speciali mandato non sunt attendenda, cap. Quod translationem, de offic. legati. Qui plura circa hoc scire cupit, Sylu. V. Confessor 1. §. 8. & V. Prælatus, §. 2. Azor. p. 1. lib. 7. cap. 29. q. 6. Lessium lib. 2. cap. 40. num. 118. Sanchez lib. 8. de Matr. disp. 3. nu. 9. Henriquez lib. 3. de pœnit. cap. 7. num. 4. Et Suarez l. c. cap. 10. num. 14. & 15. adeat.

Vicarium Prioris absentis, tanquam ordinarium delegare posse, asserit Sà, V. Delegatus, nu. 1. Idem ex Suarez de leg. lib. 6. cap. 15. num. 1. Et Sanchez de Matr. lib. 2. disp. 40. num. 14.

Quando autem Prior dicatur absens? Controuersum est: Quidam asserunt, quando abest à Monasterio vltrà dua dietas; quidam vnica contenti sunt. Vel, auctore Io. Baptistà Tiberio l. c. cap. 7. q. 51. Quando extra diœcesim commoratur sed hoc arbitrio Iudicis relin-

relinquit Glossa in cap. Cùm nullus V. Remotis de temp. Ordin. in 6. Vide etiam Azor. p. 2. lib. 3. cap. 46. in fin.

VOTVM.

1 CErtò certius est apud Theologos, simplicia vota regularium, posse ab eorum Prælatis irritari, præter votum transeundi ad strictiorem Religionem. Lessius lib. 2. cap. 40. num. 74. alijq; ab eo relati. Quia respectu huiusmodi transitus, Regulares non subijciuntur Prælatis, tanquam Dominis. Cùm is non comprehendatur sub his, quæ concernunt Votum obedientiæ. Ex Sanch. lib. 4. mor. cap. 42. num. 2.

Possunt tamen in huiusmodi Voto, sicut & in cæteris Votis ijdem dispensare: Regulares enim subijciuntur suo superiori, tanquam spirituali Prælato, sicut seculares subijciuntur Episcopo. Vide Sanch. l. c.

Quam sanè facultatem, etiam Prælatis secundarijs, quos Vicarios vocamus, quando tota Conuentus gubernatio ad ipsos spectat, competere, tradit Sanchez lib. 4. moral. cap. 33. nu. 16. alios referens.

Hinc fit, præfatos Prælatos, & eorum Vices gerentes, posse Vota subditorum commutare. Sà V. Voti irritatio, num. 19. Id enim minus est quàm dispensare; Cùm per dispensationem, omnino tollatur Voti vinculum; non autem per commutationem, sed loco prioris obligationis, alia substituitur, ob idq; minor causa ad commutandum satis est. Vide Lessium l. c. num. 108.

Idipsum de Dispensatione profitemur cum Azor. p. 1. lib. 7. c. 29. q. 6. Sanchez lib. 4 moral. cap. 39. num. 5. & 6. & alijs.

Vota personalia Nouitiorum, vt professorum, à Superiore irritari posse, negant Nauarrus in Manu. cap. 12. num. 65. Lessius l. c. nu. 80. Possunt tamen suspendi, vel commutari in onera Religionis à Prælato, vel Confessore, etiam ab ipso Nouitio. Ex Lessio ibidem. Vota verò Nouitiorum realia, regulariter loquendo, nequeunt à Superiore suspendi; Cùm regularem obseruantiam haud impediant. Auctore Bonaccina de leg. disp. 4. quæst. 2. pun. 7. §. 2. sub num. 32.

Vtrum vero Prælatus dispensare valeat in Votis personalibus Nouitiorum? Affirmatiuè respondet Sanchez lib. 9. de Matr. disp. 39. nu. 44. cum Lessio ibidem.

Prælatæ etiam Monialium earum Vota, tàm directè, quàm indirectè irritare valent, secundum Suarez, lib. 6. de Voto cap. 7. num. 19. An-

19. Angles.2.p.q.Vnica,de Voto, artic. & diffic.7. pag.mihi 107. & alios. Nam Moniales pendent ab earum nutu, & voluntate. Vide Regin.lib.18.num.324.

Non tamen possunt commutare, neque in illis propriè dispensare, quia iurisdictionem non habent, nisi ex speciali Summi Pontificis commissione; Rod.in qq.regg.to.1.quæst.25.art.7. Less.lib.2.cap.40.dub.18.num.133.Sanch.in op.mor.lib.4.cap.39.& cap.49.num.24.& alij.

ANIMADVERSIO.

TAmetsi D.Anton.p.2.Tit.11.cap.2.§.8.scribit, Monasterium teneri ad Vota realia professi; cum succedat in realia onera Vouentis. Oppositum tamen probabilius arbitramur cum Bonacina de leg. disp.4.quæst.2.pun.5.§.2.num.7. Quia ex communi DD. regula; Vota omnia personalia, atq; realia per professionem extinguuntur. Idque verum erit, dummodo talia Vota ab eo, in cuius fauorem emissa sunt, acceptata non fuerint.

Probabilis est DD. Sententia, Vota conditionalia emissa in pœnam delicti, dispensari posse post impletam conditionem. Vt si vouisti non ludere sub pœna Religionis, poteris commissa pœna, per Superiorem dispensari. Vide Lessium lib.2.cap.40.dub.13.sub nu.106.aliàs, dub.18.sub num.129.& ibi cæteros.

FINIS.

Ad laudem Sanctissimæ Trinitatis Beatissimæ Virginis Mariæ. S.P.N. Hieronymi Ac Beati Petri Pisani.

